STATUTORUM SIUE IURIS CIUILIS TERRÆ CUTIGNOLÆ LIBRI QUATUOR; NUNC...

Cotignola, Luigi Valenti Gonzaga

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 K
12

Y.11



3. g. 14

xv.6.19

STATVTORVM
SIVE
IVRIS CIVILIS TERRÆ
CVTIGNOLÆ
LIBRI QVATVOR;

NVNC PRIMVM EDITI SVB FELICISSIMO REGIMINE
Perilluſtris, & Excellentiſſimi D. ALEXANDRI COPPINI
Nobilis Pontremolenſis, Gubernatoris;

Ac Admodum Illuſtrium, & prudentiſſ.
DD. GABRIELIS ROSSINII QVÆSTORIS,
GVIDONIS BLANCOLI, ET PAVLI PASOLINI
Procuratorum eiuſdem Terræ Cutignolę.



RAVENNÆ, MDCXXII.

Ex Typographia Petri de Paulis, & Ioannis Baptiſtæ Ioannelli Impreſſ. Cameral.

Habita Superiorum facultate.











STATVTORVM
TERRÆ CVTIGNOLÆ.
INCIPIT LIBER PRIMVS.

SVMMA, excelſaque diſpoſitione Omnipotens Deus humanum genus immaculatum, ac præclarum nulla diminutione plaſmauit, & lucida diſcretione liberaq́, voluntate inſigniuit: At ipſum poſtea, iniquitatis ſuaſu, ſuperbiæ ſtimulis agitatum, Creatoris ſui donorum immemor, in pluribus ſe immiſcuit quæſtionibus, & à iuris ordine aberrare non horruit; Ex quo oportuit prauorum præuaricationes, & ſcelera ordine canonico, & legum ſanctionibus coarctare, nec non prouiſionibus, & ſtatutis, locorum ſitibus, & rerum, ac locorum diuerſitatibus conſideratis, cohibere: Cumque locorum Rectores, & Ciuitatum Gubernatores ſummo ſtudio deceat prouidere, vt bonitatis ſuæ condigna præmia boni referant, & malorum nequitia compeſcatur; Ea propter, Nos Sfortia de Attendulis Caſtri Cutignolæ, & eius Territorij, & diſtrictus Comes pro Sancta Romana Eccleſia, ſtatum ipſius Terræ noſtræ ſemper in melius cupientes reformare, infraſcripta Statuta, prout inferius, ſub ſuis libris, Titulis, & Rubricis continetur, ordinamus, ſtatuimus, ſancimus, atque firmamus, Inuocato primitus Summi Numinis, & Altiſſimi Creatoris ſuffragio, & ad eius, & Sanctiſſimæ Matris glorioſæ laudem, & reuerentiam, & totius Curiæ cæleſtis, & ad honorem, ſtatum, & reuerentiam Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, D. Ioannis, diuina prouidentia Papæ XXIII. & ad ſtatum pacificum dictæ Terræ noſtræ Cutignolæ, & Regentium in eadem; Ipſaque ſtatuta, ſub infraſcriptis pœnis, præcipimus inuiolabiliter cuſtodiri, & pro legibus haberi, ac etiã obſeruari. ſub Anno Domini Noſtri Ieſu Chriſti M. CCCC. XI. Indictione IV. tempore prædicti Domini Noſtri Papæ.

De Officio Capitanei, vel Vicarij Cutignolæ. *Rubrica I.*

PRouida legum auctoritas, ſacros etiam Canones imitata, Terrarum, & Locorum vtilitate, & opportunitate penſatis, ſalubriter ſtatuit, vt vnicuiq; loco præeſſet vnus Paſtor, per quem ipſa Terra gubernaretur vtiliter, & per quem poſſint incolarum deſideria explicari; Idcirco hoc edicto, in perpetuũ valituro, ſancimus, vt in dicta Terra noſtra Cutignolæ ſemper ſit, & eſſe debeat vnus Capitaneus, vel Vicarius, quocunque dictorum duorũ nominum nuncupetur, per quem dicta noſtra Terra, & homines ipſius, & diſtrictus eiuſdem, ac degentes in eiſdem, regantur, & gubernentur: Qui Capitaneus, vel Vicarius

De Salario Notarij tam Inſtrumentorum, quàm Vltimarum Voluntatum. Rubrica IX.

QVia ſæpè pro ſolutione ſcripturarum inter Notarios, & Homines de Cutignola quæſtio conſueuit ſuboriri; Ideò, ad omnem quæſtionem tollendam, ſtatuimus & ordinamus, vt Notarij Terrę Cutignolæ pro Inſtrumentis, & vltimis voluntatibus, actis Ciuilium cauſarum, & cœteris alijs ſcripturis, ſolutionem recipiant in hunc modū, videlicet, De Inſtrumento Venditionis, Donationis inter viuos, Permutationis, Depoſiti, Pignorationis, Dationis in ſolutum, Diuiſionis, Dotis, Augmenti dotis, Locationis, Conceſſionis ad affictū, Mutui, & his ſimilium, à viginti quinq; libris infra incluſiuè habeant, & habere debeant decem ſol. bonen. à viginti quinque verò libris ſupra vſque ad quinquaginta incluſiue, habeant duodecim ſolidos; à quinquaginta verò libris ſupra vſque ad centum incluſiue, habeant viginti ſolidos bonen. à centum verò libris ſupra, habeant pro quolibet centenario decem ſolidos bonenorum. De Inſtrumentis conceſſionis in Emphyteuſim, & renouationis, vbi fiunt duo inſtrumenta, octo ſolid. bonen. à qualibet parte. De inſtrumento procurationis, & ſyndicatus decem ſolid. De inſtrumento Emancipationis, tutelę, curæ, Actoriæ, Priuilegij Ciuium, & Caſtellanorum immunitatis, Priuilegij ſeptuagenariorum, infirmitatis, vel alterius impedimenti; Renuntiationis hæreditatis, & his ſimilibus, decem ſol. Commodati Societatis, Soccidæ bouum, Solutionis, Conſeruationis indemnitatis, octo ſolid. bonen. Conſenſus autem Patris, Vxoris, Fratris vel alterius, ius habentis in re; ratificationis minorum, vel alterius perſonæ, ſex ſolid. Sed rationis adminiſtrationis redditæ, proteſtationis, & denuntiationis, & his ſimilium, ſex ſolid. bonen. De inſtrumento Arrharum, & futurorum Sponſaliorum, ſex ſolid. & plus arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij; De inſtrumento verò Compromiſſi, Laudi, Pacis, Treguæ, Conceſſionis in fœudum, Electionis ſacerdotum, Manumiſſionis, Inuentarij, Ceſſionis iurium, Finis, Remiſſionis, & aliorum, in præſenti Cap. non nominatorum, ſecundùm negotij qualitatem; Inſuper de Teſtamento eius, cuius hæreditas valuerit centum libris, vel ab inde infra, habeat Notarius viginti ſolid. & à centum libris ſupra, pro quolibet centenario, decem ſolid. bonen. De Codicillo verò, & Donatione, cauſa mortis, cuiuſcunque conditionis exiſtant, habeant viginti ſolid. & plus, & minus, arbitrij Domini Capitanei, & Vicarij, facti qualitate penſata; Pro Actis autem, & Scripturis in Iudicio factis, illi ſoluatur hoc modo, Videlicet, Pro qualibet commiſſione, & relatione, quatuor denarios. De Petitione, & libello, denarios duodecim, & plus, ſecundùm quantitatem ſcripturæ prolixæ. De generalibus exceptionibus, Replicationibus, & Duplicationibus, duodecim denarios. De litis conteſtatione, & iuramento calumniæ à qualibet partium duodecim denarios. De Crida, & Banno, duodecim denarios. De ſententia interlocutoria in quaterno, quinque ſolid. In authentico, decem ſolid & plus, & minus, inſpecta facti qualitate. De qualibet Poſitione, & capitulo intentionis, tres

denarios.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

De cauſis Ciuilibus, & earum Proceſſu. *Rubrica I.*

STATVIMVS, & ordinamus, vt, quilibet ad alterius petitionem citatus per Plazarium Communis Cutignolæ, vna videlicet citatione perſonaliter, vel duabus ad domũ, vbi habitare conſueuit; quarum citationum ſecũda peremptoria habeatur; niſi fuerit citatus perſonaliter, vt ſupra, teneatur, & debeat ſtatuta die in citatione indita in Iudicio legitimè comparere, & ſe præſentare coram Domino Capitaneo, vel Vicario, & expectare Actorem vſque ad horam debitam Actorum; Qui, ſi non venerit hora debita, citatus debeat ſuam proteſtationem facere ſcribi in actis, & licentiatus à Domino Capitaneo, vel Vicario, recedat; Qui Actor, ſi poſtea venerit ad Iudicium, & coram Domino Capitaneo, vel Vicario comparuerit, debeat, & teneatur reficere expenſas, quas ipſe Reus fecerit in iudicio, & cautionem præſtare de ſtando in iudicio, antequam audiatur; Et quilibet citatus, debeat habere pro qualibet citatione terminum vnius diei ad comparendum; Si verò citatus non venerit, ſeu non comparuerit legitimè in Iudicio infra prædictas citationes, ſeu dilationes, elapſis dictis citationibus, Actore inſtante, feratur contra dictum citatum ſententia interlocutoria de mittendo actorem in poſſeſſionem bonorum Rei citati, pro menſura debiti declarati, & pro expenſis factis, & faciendis ab Actore in lite, præſtito primò, & principaliter iuramento calumniæ ab Actore, videlicet, primò mobilium, ſecundò immobilium, tertiò nominum debitorum; qua tenuta ſic data, debeat expectare per decem dies, videlicet, quando tenuta data fuerit de rebus mobilibus, & nominibus debitorum; quando verò de immobilibus, per viginti dies debeat expectari, in quibus decem, & viginti diebus nulla nouitas fiat, ſeu fieri debeat; Nec Actor infra dictum tempus aliquod lucrum ſumat ex dictis rebus, nec poſt, vſque ad definitiuam ſententiam; fructus tamen percipere poſſit, & tenere, facta

tamen priùs eorum deſcriptione de conſenſu Iudicis: dicto verò tempore elapſo, cridetur per Bannitorem, vel Plazarium Communis apud domum Rei, vel in loco, vbi Reus erat ſolitus habitare, vel ad Banchum Iuris, videlicet, quòd, ſi quis vult defendere bona ipſius Rei, data in tenutam ex primo decreto tali creditori, vel eius Procuratori, Tutori, vel Curatori, vel alteri, quocunque nomine cenſeatur, infra quinque dies compareat in Iudicio, bona prædicta legitimè defenſurus; Alioquin, nemine legitimè comparente, procedetur ad æſtimationem faciendam de dictis bonis per Procuratores Communis, & adiudicabuntur dicta bona creditori ex ſecundo decreto iuxta formam iuris: Dicto autem termino quinque dierum elapſo, infra quem nemo comparere curauerit, Actore inſtante, & petitionem ſuam dationis in ſolutum ex ſecundo decreto in ſcriptis in iudicio offerente, æſtimentur dicta bona, liquidato primò plenariè debito per Actorem, iuris ſolemnitatibus obſeruatis per ordinem, & dentur in ſolutum ipſa bona Actori ex ſecundo decreto, & fiat dicta æſtimatio per Procuratores Communis; Nec audiatur Reus, veniens poſt definitiuam ſententiam, ſic latam ex ſecundo decreto, volens recuperare dictam tenutam; ſed totaliter dominio, & poſſeſſione dictæ rei ſit ipſo iure priuatus: Actor verò dictæ rei ſit, & eſſe intelligatur verus Dominus, & Poſſeſſor; Ante verò dictam ſententiam definitiuam, ex ſecundo decreto latam, Reus, quandocunque veniens, poſſit dictam tenutam recuperare, primò, & principaliter legitimis expenſis reſtitutis Actori, & ſatiſdatione præſtita, de lite ſuſcipienda, antequam ipſi Reo audientia præbeatur; Quibus expenſis reſtitutis, & ſatiſdatione præſtita (vt dictum eſt) Reus recuperet tenutam ſuam, & prædicta omnia locum habeant, quando ageretur perſonali actione: Si verò ageretur reali actione, ordo, & iuris forma ſeruetur; Quæ omnia intelligenda ſunt de quantitatibus, ſeu rebus mobilibus, vel immobilibus, corporalibus, vel incorporalibus, excedentibus ſummam, ſeu quantitatem, valorem, vel æſtimationem quadraginta ſolid. boneñ. in quibus debeat in Iudicio libellus offerri; In quantitatibus verò quadraginta ſolid. boneñ. vel ab inde infra, ſeu rebus æſtimatonis, vel valoris quadraginta ſolid. vel ab inde infra, minime offeratur libellus, nec iuris ſolemnitas obſeruetur, ſed ſufficiat, Reum ſemel perſonaliter citari, vel bis ad domum, vbi habitare conſueſcit, & pro vna quaque citatione habeat terminum vnius diei, vt dictum eſt ſupra, ad comparendum; Qui Reus, ſi in termino comparuerit, Capitaneus, vel Vicarius verbo tenus audita, & intellecta petitione Actoris, & reſponſione Rei, non obſtantibus aliquibus legitimis probationibus, iuris ordine, & ſolemnitatibus prætermiſſis, per dilationem iurisiurandi, deferendi ei parti quam crediderit digniorem, ſine tarditate aliqua ſummarie determinet quęſtionem; Reo verò in dicto termino minime comparente, Capitaneus, vel Vicarius, Actore inſtante, teneatur darę tenutam de bonis Rei ipſi Actori, ſecundùm quantitatem debiti, vel ęſtimationem rei petitæ, & expenſarum factarum in lite; Quæ tenuta debeat ſtare per quinque dierum ſpatium, quo quidem durante ſpatio nulla nouitas

fiat;

fiat; quibus quinque diebus elapſis, dicta tenuta æſtimetur per Procuratores Communis ad petitionem Actoris, & detur in ſolutum Actori per Dominum Capitaneum, vel Vicarium, omni ſolemnitate, & iuris ordine prætermiſſo; & prædicta vendicent ſibi locum, quando Actor ordinariè procedere voluerit; ſi verò procedere voluerit extraordinariè ad pignorationem, vel alio modo; tunc facta vna citatione perſonali, vel duabus ad domum in quibuſcunque quantitatibus, tam paruis, quàm magnis, & tam maioribus quadraginta ſolid. quàm minoribus ad petitioně creditoris, pro ſorte, & expenſis debeat pignorari; Si de citatione conſtet ſcriptura Not. Actorum: Verum tamen declaramus, quòd in quibuſcunque quæſtionibus, tam magnis, quàm paruis, cuiuſcunque conditionis exiſtant, & in quacunque parte litis, etiam ante libelli oblationem, & poſt vſque ad definitiuam ſententiam duntaxat; ſi Actor voluerit ſponte deferre ius iurandum Reo, cogatur ipſe Reus, vel iurare, vel referre, vel ſoluere; nec audiatur Reus, volens dicere Actori, Neſcio, quid dicas; Sed ſi aliquid petis, offeras mihi libellum, vt lis ſuo marte diſcurrat; Sed alterum ex tribus Reus facere compellatur penitus: & quæ dicta ſunt in Reo, eadem intelligantur in Actore. videlicet, quòd, ſi Reus vellet eidem Actori iuſiurandum deferre, teneatur ipſe Actor, aut iurare, aut referre; quorum ſi neutrum facere voluerit, Reus à petitione ſua totaliter abſoluatur per ſententiam definitiuam; & totum hoc quod ſupra continetur de iure iurando, & referendo, locum habeat inter contrahentes tantùm cum in facto alieno ignorantia toleretur; Præterea, quotieſcunque aliquis citabitur coram Vicario Terræ Cutignolæ, & citatus comparuerit, & petierit ſibi libellum offerri, quòd Actor teneatur eidem conuento libellum offerre ſuis expenſis; Quo libello oblato, quinque dierum prædicto conuento terminus aſſignetur, quibus deliberet, an cedat, vel contendat; quibus quinque diebus elapſis, compellatur litem conteſtari, ſi contendere vult, excepto, quòd ſi appoſuerit aliquam exceptionem, quæ litis conteſtationem impediat: tunc Capitaneus, vel Vicarius teneatur partibus ſtatuere communem dilationem quinque dierum ad omnes eorum exceptiones dilatorias, & declinatorias, litis conteſtationem impedientes, apponendas; quibus exceptionibus, vel oppoſitis, vel non, & dicta dilatione finita, Capitaneus, vel Vicarius pronunciet ſuper eis, pro vt iuris fuerit, vel committat conſilio ſapientis ad inſtantiam partium, vel alterius earum; Verùm tamen declaramus, quod, ſi in quacunque lite ciuili, & in quacunque parte litis, ante ſententiam aliqua partium peteret conſilium Sapientis, Dominus Capitaneus, vel Vicarius ad eius inſtantiam, ipſam cauſam, vel punctum petitum, committere teneatur, & debeat Conſultori non ſuſpecto, expenſis partis petentis.

De condemnatione in expenſis, & de expenſis reficiendis. *Rubrica II.*

STatuimus, & ordinamus, vt Victus Victori condemnetur in expenſis, niſi iuſtam cauſam habuerit litigandi, ſiue fuerit iuramentum calumnię præſtitum, ſiue non; ſalarium verò Conſultoris, Aduocati, & Procuratoris, eadem die à parte ſuccumbente obtinenti, reficiatur.

De Salarijs Aduocatorum, & Procuratorum. *Rubrica III.*

STatuimus, & ordinamus, vt ſalario Aduocatorum, & Procuratorum, eis in principio cauſæ conuenta, debeantur; Si verò conuenta non fuerint, arbitrio Capitanei, vel Vicarij declarentur, & declarata debeantur, labore, qualitate perſonarum, & quantitate, & conditione rerum conſideratis, & inſpecta Aduocati, & Procuratoris perſona, & alijs conſideratis, ſuper quibus Capitaneus, vel Vicarius, vinculo iuramenti diligenter intendat ad reprimendam voraginem malorum Aduocatorum, & Procuratorum; ac etiam, quòd nullus ipſorum paciſcatur de quota litis, vel de parte litis, per pœnas legales debitè compeſcendo. Declarantes inſuper, quòd, Procuratores, aliena procurantes negotia, habeant pro ſuo ſalario, & mercede vnum bonen. pro qualibet libra, quam exegerint, vel petierint, ſi partes etiam ad tranſactionem venirent, & concordiam, & ſiue confeſſi fuerint Rei ipſi, ſiue non, & plus etiam, labore, & rei qualitate penſata.

De Forenſibus detinendis. *Rubrica IV.*

STatuimus, & ordinamus, vt ſi quis forenſis dare debuerit aliquid alicui de Terra Cutignolæ, vel alicui habitatori Terræ Cutignolæ, & venerit ad dictam Terram, Capitaneus, vel Vicarius teneatur, & debeat dictum talem forenſem ad inſtantiam ſuorum creditorũ perſonaliter facere detineri; nec ipſum relaxet; niſi primò ſatisfecerit dicto ſuo Creditori, ſeu ſatiſdederit de iudicio ſiſteñ. & iudicatum, ſolueñ. Et ſi contigerit, aliquem de Terra Cutignolæ, vel eius diſtrictus, forenſem aliquem ita, vt dictum eſt, facere detineri; nec probauerit, illum ſibi eſſe debitorem, vel non apparuerit eum eſſe debitorem, condemnetur dictus Actor in expenſis, quas ipſe forenſis ſuſtinuerit ob dictam detentionem, prout Capitaneo, vel Vicario videbitur eſſe iuſtum. Præterea, ſi continget, aliquem Terrigenã, vel habitatorem dictæ Terrę Cutignolæ agere actione reali, vel eum agere velle in dicta Terra contra aliquem forenſem, vel etiam perſonali actione ex aliqua pecuniæ quantitate, vel re mobili, vel immobili, Capitaneus, vel Vicarius, ad inſtantiam dicti talis Terrigenę conquerentis, ipſum forenſem citari faciat ad banchum iuris Communis Cutignolæ tribus citationibus, & pro vnaquaque citatione, ſtatuatur terminus trium dierum, quarum vltima pro peremptoria habeatur, niſi ipſe forenſis habeat domum propriam, vel

conductam;

conductam; quia tunc apud ipſam domum citetur; quibus citationibus elapſis, contra ipſum forenſem, & eius bona procedetur ſecundùm formam Statuti, ſuperiùs declarati, vt talis forenſis, ſic vocatus, & citatus, legitimè vocatus citatus, & interpellatus intelligatur, contumaxque habeatur, & contra eum poſſit procedi, tanquam contra contumacem.

De Sententijs definitiuis. Rubrica V.

QVia parum eſſet, eſſe iura, niſi eſſent, qui ea exequerentur; Ideo ſtatuimus, & ordinamus, vt quotieſcunque aliqua definitiua ſententia lata fuerit per Capitaneum, vel Vicarium Terræ Cutignolæ contra aliquam perſonam, vndecunque ſit, ille, contra quem lata fuerit talis definitiua ſententia, vel hæredes eius teneantur, & debeant omnia dare, & ſoluere, quæ continebuntur in ſententia, ei, pro quo lata fuerit ſententia, vel hęredibus eius infra quindecim dierum ſpatium, à die, latæ ſententię numerandorum, vel dictæ ſententię opponere, ſi quid opponere voluerit; Si verò infra prędictos quindecim dies nō ſoluerit, nec ſatisfecerit ijs, quæ in ſentētia cōtinebuntur, vel dictæ ſentētiæ nihil oppoſuerit, nec infra decem dies appellauerit ad Superiorem, & in appellatione perſeuerauerit; tunc Capitaneus, vel Vicarius teneatur, & debeat ad petitionem recipere debentis, vel eius legitimi Procuratoris, facere illum talem condemnatum capi, & detineri in domo, vbi ius redditur, vel in carceribus Communis Cutignolæ, nec permittere eum, inde recedere; niſi priùs ſatisfecerit creditori, quæ in ſententia continebuntur; Et hoc, quando talis, ſic condemnatus, poterit perſonaliter capi, & detineri; Si verò capi, & detineri non poterit, tunc ſemel tantùm citetur perſonaliter, vel bis ad domum, pro primo, ſecundo, & tertio termino peremptorio; quo non comparente, tunc detur tenuta de bonis talis, ſic citati, primò mobilium, ſecundò immobilium, tertiò nominum debitorum, ex primo decreto, pro menſura debiti, declarati, & pro expenſis; quo Reo comparente, recuperare poſſit tenutam, de ipſius bonis captam, dummodo ſuo in totum ſatisfaciat creditori de ſorte, & expenſis legitimis; Si verò non comparuerit, expectetur viginti diebus, quibus elapſis, iterum ſemel citetur, ſi contradicere vult dictæ tenutæ, quo infra terminum non comparente, dicta tenuta æſtimetur per Procuratores, qui pro tempore erunt, & incontinenti detur in ſolutum dicto creditori, ex ſecundo decreto; quo condemnato poſtea comparente, nunquam audiatur; ſed Capitaneus, vel Vicarius, qui tunc erunt, teneantur, & debeant illum, in poſſeſſionem ſic miſſum, in illa tali poſſeſſione manutenere.

De nullitate Proceſſus. Rubrica VI.

STatuimus, & ordinamus, vt ſi quis proceſſus nullus fuerit, ſi per aliquam partem proponatur coram Vicario, de ipſa nullitate, exprimendo cauſam ipſius nullitatis, poſſit ipſe Vicarius de ipſa nullitate cognoſcere, & emendare in caſu, quo Iura permittunt.

Quòd

Quòd in Legatis ad pias cauſas ſummariè procedatur. *Rubrica VII.*

QVia primò animas, & poſtea linguas oportet fieri eruditas, ſtatuimus, & ordinamus, vt Teſtatorum voluntates adimpleantur, &, vt ipſorum animę à peccatis ſoluantur, qui fidei commiſſarijs, & alijs quorum intereſt, petentibus legata, relicta ad pias cauſas, fiat expedita iuſtitia, & ſine ſtrepitu Iudicij, ſummariè ius reddatur, oblata, vel oretenus facta aliquali petitione, communi ſolemnitate, & iuris ordine prætermiſſis; Et de talibus quæſtionibus poſſit cognoſci, & definiri diebus feriatis, & non feriatis, ſedendo, & ſtando in domo Communis, & extra.

De pœna, temerè litigantium. *Rubrica VIII.*

ODioſas litigantium calliditates amputare volentes, ſtatuimus, & ordinamus, vt nullus audeat, vel præſumat petere in Iudicio aliquam rem mobilem, vel immobilem, ſeu pecuniam indèbitam in totum, vel in parte aliqua; Qui verò contrafecerit, condemnetur in quarta parte æſtimatioois rei, ſeu pecuniæ, in libello petitę; ad quam pœnam nemo teneatur, niſi poſt litem conteſtatam; In quantitatibus verò, ſeu rebus, in quibus non eſt offerendus libellus, condemnetur Actor, petens indebitum, ſecundùm arbitrium Domini Capitanei, vel Vicarij: & prædicta omnia intelligantur, vera eſſe, quando Actor nullam iuſtam cauſam ignorantiæ habuerit, & hoc probare poterit per legitimas coniecturas, ſeu per ſacramentũ; deficientibus cõiecturis, in nihilo cõdemnetur.

De Petitione Reſtitutionis in integrum. *Rubrica IX.*

HOc edicto decernimus, & ordinamus, vt minor vigintiquinque Annis, & Eccleſia, vbicunque lædãtur in iudicio, ſiue extra, electionem habeant, an velint petere reſtitutionem in integrum, vel agere contra Tutorem, Procuratorem, Actorem, Curatorem, vel Syndicum, quorum culpa, vel negligentia contigerit, eos lædi, & petita reſtitutione in integrum, procedatur ſuper ea, non obſtante, quòd contra Adminiſtratores ipſorum prædictos non ſit primitus actum, aut facta diſcuſſio contra eos; Inſuper reſtitutio temporum, & terminorum in meritis cauſarum fieri valeat ſummariè, pro vt Iudici, ſeu Vicario videbitur iuridicum, & eſſe opportunum, & quotieſcumque fuerit de partium voluntate, & conſenſu inſtitum.

De Petitione Reductionis ad arbitrium boni Viri. *Rubrica X.*

PEtitio reductionis ad arbitrium boni viri produci, & fieri poſſit coram Domino Capitaneo, vel Vicario aduerſus omne Laudum, Arbitrium, & arbitramentum infra viginti dies poſt ipſum laudum, arbitrium, & arbitramentum,

tramentum latum, à die ipſius laudi, arbitrij, & arbitramenti lati; cōputandos; aliàs elapſis dictis viginti diebus, ipſa petitio produci non poſſit, & ſi produceretur nullatenus admittatur: Immò Iudex, & Vicarius dictæ Terrę Cutignolæ ad petitionem partis, petentis, teneatur, & debeat ipſum laudum, arbitrium, & arbitramentum in omnibus executioni mandare.

Quòd inſtantia cauſę ciuilis duret per Annum, à die datæ petitionis. Rubrica XI.

CVm ſit decens, & rationi conſonum, vt iudiciorum finis habeatur, ſtatuimus, & ordinamus, vt quælibet cauſa merè ciuilis infra annum poſt productionem petitionis, à die ipſius productionis, computañ. expediatur, & terminetur, & pars agens ita ſe gerat diligenter, vt infra dictum terminum vnius anni prædicti, faciat ipſam ciuilem cauſam per ſententiam determinari; aliàs, elapſo dicto termino dicti anni, ipſa ciuilis cauſa, & eius inſtantia ſit, & eſſe intelligatur omnino perempta, & deſerta; Itaut dicto Anno elapſo, ſuper ea procedi ad aliquem actum non poſſit, & ſi procederetur, quicunque actus fieret ipſo iure nullus ſit;

De executione Inſtrumentorum, & vltimarum Voluntatum. Rubrica XII.

FInem litibus imponere cupientes, & nè lites immortales exiſtāt, ſtatuimus, & ordinamus, vt, ſi quis coram Domino Capitaneo, vel Vicario in cauſis ciuilibus ſuum debitorem fecerit euocari, citatum ſemel perſonaliter, vel bis ad domum, & coram ipſo Domino Capitaneo, vel Vicario ab eodem petierit aliquam pecuniæ quantitatem, vel rem certam ex quacunque legitima cauſa, & pro ipſo debito contra ipſum debitorem produxerit inſtrumentum publicum, vel teſtamentum, ſeu aliquam aliam vltimam voluntatem, continẽ. ipſam quantitatem, vel rem certam, non abolitum, non cancellatum, non vituperatum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, Iudex, vel Vicarius prædictus faciat ipſi Reo dare copiam dicti inſtrumenti, vel Teſtamenti, vel vltimæ voluntatis, & terminum ſtatuat dicto Reo ad accipiendam copiam dicti inſtrumenti, vel vltimæ voluntatis, & opponendum contra ipſum inſtrumentum, ſeu Vltimam voluntatem, & ipſum creditorem omnes ſuas exceptiones, ſibi competentes, & probatum habendum per omnem ſpeciem probationis, videlicet octo dierum; tunc proximè futurorum; Et ſi infra dictum terminum oppoſuerit aliquas exceptiones veras, & legitimas, & vbi expedierit, probauerit eaſdem, tunc ſuper ipſis exceptionibus, & probationibus diſcutiatur, & allegetur, prout fuerit rationis, ſine conteſtatione litis, iuramento calumnię, & alijs ſolemnitatibus iuris; elapſo verò dicto termino, ſi pro Actore ſententia ferenda eſſet; tunc ſine alia ſententia ipſum inſtrumentum, & vltima voluntas prædicta cum effectu ad voluntatem creditoris realiter, & perſonaliter executioni demandetur; Si verò nihil oppoſuerit, vel oppoſita non probauerit; tunc ſimilis executio ad voluntatem creditoris

perſonaliter

perſonaliter, & realiter penitus ſit facienda: Si verò pro Reo eſſet ferenda ſententia; tunc ipſe Reus abſque aliqua iuris, & Statutorum ſolemnitate abſoluatur; Si verò Reus non comparuerit, legitimè citatus, vt ſupra, tunc ad inſtantiam Actoris mittatur ei perſonaliter, vel ad domum eius copia inſtrumenti, vel vltimæ voluntatis, & quædam cedula manu Not. Actorum ciuilium, in qua contineatur petitio, & terminus octo dierum, illi datus, quo elapſo, procedatur, vt ſupra, ſi comparuerit, vel non comparuerit poſt aſſignationem dicti termini.

De Compromiſſis, & eorum vigore. *Rubrica XIII.*

SI factum Compromiſſum fuerit in cōſanguineos, tam Agnatos, quàm Cognatos, & etiam affines, Cōpromiſſarij teneantur infra vnius menſis ſpaciū ſub pœna quadraginta ſolid. de eorum proprio, ipſam cauſam compromiſſam per ſententiam terminare; Si verò fuerit compromiſſum factum inter alias perſonas, & per quaſcūnque perſonas, Compromiſſarij ſub dicta pœna debeant ipſam cauſam compromiſſam infra trium menſium ſpacium terminare, & per ſententiam definire; Poſt verò prædictos terminos, quodlibet compromiſſum factum nullam obtineat firmitatem.

De confeſſis in Iudicio, ſeu conuictis. *Rubrica XIV.*

STatuimus, & ordinamus, vt, debitoribus in Iudicio legitimè, vel per inſtrumenta, ſeu per teſtes, vel delationem iurisiurandi, ſeu per alias probationes legitimè conuictis, Capitaneus, vel Vicarius teneatur, & debeat præcipere, vt infra decem dies ſoluant ſuis creditoribus pecuniā, vel rem, de qua confeſſi, ſeu legitimè conuicti fuerint ſine aliqua tenuta, danda ad ipſorum creditorum voluntatem ſub pœna dupli æſtimationis, ſeu quantitatis rei, de qua confeſſi, ſeu legitimè conuicti fuerint, vt dictum eſt: & prædicta locum habeant in quantitatibus, ſeu rebus mobilibus, vel immobilibus, corporalibus, vel incorporalibus, excedentibus ſummam, ſeu quantitatem, æſtimationem, vel valorem quadraginta ſolid. boneñ. In quantitatibus verò quadraginta ſolid. vel ab inde infra, vel in rebus ęſtimationis, ſeu valoris quadraginta ſolid. vel ab inde infra, præcipiat eis, ſic confeſſis, vel legitime conuictis (vt dictum eſt) vt vſque ad tres dies, & plus, & minus, arbitrio Vicarij, ſoluant; Similiter ſine aliqua tenuta, danda ſub pœna dupli; niſi eſſet res, vel pecunia debita pro mercede; quia tunc eis, ſic confeſſis, vel legitimè conuictis (vt dictum eſt) præcipiat, vt, antequam diſcedant de Domo Iuris ſoluant ſine aliqua tenuta danda ſub pœna dupli; Poſſit etiā Capitaneus, vel Vicarius prædictos terminos elongare, & breuiare de partium voluntate; Qui debitores ſi in prædictis terminis ſoluere ceſſauerint, ad voluntatem ſuorum creditorum, teneatur, & debeat Vicarius, vel Capitaneus condemnare ad pœnam, in pręcepto contentam, cuius pœnæ medietas ſit Cōmunis, alia medietas ſit creditoris; & nihilominus Capitaneus, ſiue Vicarius teneatur

prædictos

prædictos debitores, non ſoluentes in terminis (vt dictum eſt) ad inſtantiam ſuorum Creditorum, facere perſonaliter capi, & detineri in Domo Iuris, vel in carceribus Communis; donec ſatisfaciant voluntari creditorum; Qui debitores, ſi aufugerint de dictis locis, antequam ſoluant, debeant condemnari ad inſtantiam creditorum, ac etiam capi, ac perſonaliter detineri, & cuſtodiri, donec ſatisfecerint (vt ſuperiùs dictum eſt.) Nec audiantur dicti debitores, nec aliquis nomine ipſorum, volentes opponere aliquam exceptionem contra prædicta præcepta, niſi vellent opponere exceptionem ſolutionis, ſeu tranſactionis, vel pacti de non petendo, vel exceptionem falſi: quia tunc, volentes opponere dictas exceptiones, vel aliquam ipſarum, audiantur, ſtatuaturque eis dilatio competens ad probandum exceptiones ipſas; & nihilominus dicti debitores interim debeant ſemper in prędictis locis detineri.

De Sequeſtris faciendis. *Rubrica XV.*

STatuimus, & ordinamus, vt Capitaneus, vel Vicarius Terræ Cutignolæ teneatur, & debeat ad inſtantiam cuiuſque petentis facere ſequeſtrari pecuniam numeratam, & alias res mobiles, corporales, vel incorporales, cuiuſcunque conditionis, ſeu qualitatis, vel quantitatis exiſtant; dummodo ille, qui petierit illa bona ſequeſtrari, primò, & principaliter iuret ad Sancta Dei Euangelia, quòd ille, cuius bona petit ſequeſtrari, eſt ſibi perſonaliter obligatus, vel bona, quæ ſequeſtrari petit, ſunt ſibi obligata, & perſona, cuius ſunt, vel penes quem ſunt conſtituta dicta bona, eſt forenſis, vel fugitiua, vel ſuſpecta perſona; ita vt veriſimiliter timendum ſit, ne dicta bona (vt vulgo dicitur) barattentur; quo iuramento præſtito, ſequeſtratio concedatur, & alias non; Et ſi conceſſa fuerint, non teneant ipſo iure; ſed concedens puniatur ad intereſſe partis, contra quam conceſſa fuerit; Et ſi Reus, vel alius eius nomine comparuerit, volens facere releuari ſequeſtrum, legitimè factum, audiatur, dummodo antequam dictum ſequeſtrum releuetur, ſatiſdet idonee apud Acta, iudicatum ſolui in omnibus ſuis clauſulis; qua ſatiſdatione præſtita, releuetur ſequeſtrum.

Quæ tempora, & termini non currant. *Rubrica XVI.*

TEmpora, & terminus ciuilium cauſarum nolumus currere, ſed ipſas in eo ſtatu manere à tempore, quo feriæ fuerint indictæ propter Vindemiam, & tribus diebus, propter receſſum Capitanei, vel Vicarij, & aduentum noui Vicarij, vel Capitanei, & ſimiliter non currant diebus contentis in proximo ſequenti Statuto.

De Ferijs. *Rubrica XVII.*

Feriatos dies eſſe decernimus.

MENSE IANVARIO.

A prima die vſq; ad ſextam incluſiuè erit reſſiduum feriarũ Natalitiarũ.
27 S. Antonij Abbatis.

FEBRVARIO.

1 S. Seueri Archiepiſcopi.
2 Purificat. B. V. M.
3 S. Blaſij Epiſcopi.
24 S. Matthiæ Apoſtoli.

MARTIO.

7 S. Thomæ de Aquino.
12 S. Gregorij Papę, & Eccl. Doct.
21 S. Benedicti Abbatis.
25 Annunciat. B. V. M.

APRILI.

23 S. Georgij Martyris.
25 S. Marci Euangeliſtæ.
29 S. Petri Martyris.

MAIO.

1 SS. Iacobi, & Philippi Apoſt.
3 Inuentionis S. Crucis.
13 S. Antonij Conf. Ord. S. Franciſci.
20 S. Bernardini Confeſſoris.

IVNIO.

A die feſto S. Viti, quæ eſt decima quinta incipiunt ferię meſſium, & durant vſq; ad Kal. Auguſti.
24 Natiuit. S. Ioannis Baptiſtæ.
29 SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

IVLIO.

2 Viſitationis B. V. M.
20 S. Margaritę Virg. & Mart.
22 S. Mariæ Magdalenæ.
25 S. Iacobi Apoſtoli.

AVGVSTO.

4 S. Dominici.
5 S. Mariæ ad Niues.
10 S. Laurentij Martyris.
12 S. Claræ Virginis.
15 Aſſumptionis B. V. M.
19 S. Ludouici.
24 S. Bartholomæi Apoſtoli.
28 S. Auguſtini Eccleſię Doct.
29 Decollationis S. Ioannis Bapt.

SEPTEMBRE.

A Kal. Septemb. ad Kal. Octob. erunt Ferię Vindemiarum.
8 Natiuitatis B. V. M.
10 S. Nicolai de Tolentino Confeſſ.
14 Exaltationis S. Crucis.
21 S. Matthæi Apoſtoli.
29 Dedicat. S. Michaelis Archang.
30 S. Hieronymi Eccl. Doct.

OCTOBRE.

4 S. Franciſci Confeſſoris.
18 S. Lucæ Euangeliſtæ.
28 SS. Simonis, & Iudæ Apoſt.

NOVEMBRE.

1 Omnium Sanctorum.

2 Com-

2 Commemor.oĩum fidel.defunct.
11 S. Martini Papæ.
21 Præſentat. B. V. M.
25 S. Catharinæ Virg. & Mart.
30 S. Andreæ Apoſtoli.

DECEMBRE.

6 S Nicolai Epiſc. & Confeſſ.
7 S. Ambroſij Epiſc.& Eccl. Doct.
8 Conceptionis B. V. M.
13 S. Luciæ Virg. & Mart.
21 S. Thomæ Apoſt. Hic incipiunt feriæ Natalitiæ vſque ad feſtum Epiphaniæ.
25 Natiuit. Domini N. I. C.
26 S. Stephani Prothomart.
27 S. Ioannis Apoſt. & Euang.
28 SS. Innocentium.
31 S. Silueſtri Papæ.

FERIÆ MOBILES.

Dies omnes Dominicales.
A Dominica Carniſpriuij, vſque ad primã diẽ Iouis Quadrag.excluſiuè
A Dominica Palmarum vſque ad totã octauam Paſchæ Reſurrectionis.
Tres dies Rogationum.
Dies Aſcenſionis Domini.
Dies Pentecoſtes cum duobus ſeqq.
Dies Corporis Chriſti.

FERIÆ INCERTÆ.

Feriæ etiam indicuntur omnibus illis diebus, quibus per Cõmunem Cotignolæ generaliter laboratur ad aliquod laborerium Communis.

Item omnibus diebus, quibus per Iudicem,& Rectorem feriæ indicuntur repentinæ, vel aliæ ex aliqua cauſa: quas tamen ferias nõ debeat Iudex, & Vicarius indicere abſque legitima,& rationabili cauſa, ne lites fiant penitus immortales.

Quibus omnibus ſupradictis iura in Ciuilibus nõ reddantur, in Criminalibus verò, ne maleficia remaneãt impunita, diebus tam feriatis, quàm non feriatis iura reddantur, ſalua tamen Sacrorum Canonum reuerentia,ac auctoritate: ſicuti nos ab hoc Statuto excipimus etiam cauſas miſerabilium, pauperum, & debilium perſonarum, & carceratorum, ac etiam ſequeſtrationis; quæ quidem diebus & feriatis, & non feriatis valeant agitari.

Omnes verò prædicti dies feſtiui ab omnibus cum reuerentia celebrentur, omneſque eadem die à ſeruili opere quieſcant: & qui contrafecerit in quinque ſolid. bonenorũ pro qualibet vice puniatur.

De Occupatione rei immobilis, & licentia concedenda. *Rubrica XVIII.*

TEnutam, ſiue Poſſeſſionem ſine Capitanei, vel Vicarij licentia qui fuerit ingreſſus, puniatur in centum ſol. boneñ. & talem ingreſſionem factã contra formam præſentis Statuti, irritam decernimus, & inanem: ſed pro intrando tenutam rei immobilis cum dicta licentia, ordo eſt talis, vt ille, qui petierit licentiam,producat ſuam petitionem ſummariam coram Capitaneo, vel Vicario, & producat inſtrumentum, continens titulum ipſius rei; Qui Capitaneus,vel Vicarius videns ipſum iuſtum titulũ non abolitum, non vituperatũ,

non cancellatum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, & probato, quòd Venditor, Donator, vel ille, qui dedit, ſeu conceſſit cum titulo cõtento in dicto inſtrumento, rem contentam in dicto inſtrumento, quam ipſe poſſidebat tempore factionis dicti tituli, & ante per tres menſes proximè præcedentes, continuè poſſederat præſente, vel citato illo, qui dedit dictum titulum, dictam licentiam à dicto Capitaneo, vel Vicario intrandi in dictam poſſeſſionem dictæ rei valeat obtinere.

De Dotibus reſtituendis. Rubrica XIX.

DOtem cuiuſcunque mulieris forenſis, vel terrigenæ, quicunque Maritus Terræ Cutignolæ, vel habitans in eadem, receperit ab ipſa muliere, vel ab alio pro ipſa muliere, ac pro ipſo matrimonio, ipſo diſſoluto, medietatem liberam, & expeditam lucretur ſine aliquo onere, vel expenſa, videlicet ſi ipſa mulier ſuperſtite ſibi ſuo Viro, deceſſerit ſine filijs; lege aliqua, in contrarium loquente, non obſtante.

Quòd nullus Minor poſſit contrahere, niſi coram Capitaneo, vel Vicario. Rub. XX.

PRo publica, & euidenti vtilitate minorum, ſtatuimus, & ordinamus, vt, nullus minor viginti quinque annis maſculus vel fęmina poſſit, vel debeat cum aliqua perſona contrahere, ſeu chartam, vel inſtrumentum facere, vel celebrare; niſi coram Domino Capitaneo, vel Vicario; Qui Capitaneus, vel Vicarius diligẽter debeat inquirere cauſam, ſeu cauſas, propter quas ipſe minor vult contractum, ſeu chartam celebrare, vel inſtrumentum, & etiam in præſentia duorum propinquorum, aſſerentium, & iurantium, contractum fore neceſſariũ dicto Minori, vel duorum vicinorum dicti Minoris, in caſu, in quo non extarent propinqui; Aliàs autem, ſi contigeret, aliquem minorem cõtrahere, dicta forma non ſeruata, Minor contrahens pręſumatur dolo ad contrahendum, & iurandum inductus; & contractus, factus, vel celebratus cum Minore, non ſeruatis ſolemnitatibus omnibus ſupradictis, præſumatur, & fingatur doloſus, extorſus, & nullam obtineat firmitatem. Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus, vt nullus Notarius audeat, vel præſumat facere aliquod inſtrumentum, quod contra mentem, ſiue verba dicti Statuti poſſit eſſe, quod reſpiciat aliquam obligationẽ, de minoribus faciendam directè, vel indirectè, pœna Notarij contrafacientis, centum ſolid. boneñ. Et ſi Capitaneus vel Vicarius viderit, contractũ, ſeu chartam, vel inſtrumentum expedire Minori, ſuam auctoritatem, & Communis Cutignolæ interponat, & Decretum; Si verò viderit, ipſum contractum, vel inſtrumentum redundare in præiudicium ipſius Minoris, ſuam actoritatem minimè interponat, & ad liquidandum Iudici de prædictis, ſufficiat atteſtatio dictorum duorum hominum attinentium, verbotenus, & ſummarie recepta, ac in inſtrumento redigenda, & nullus Notarius audeat, vel præſumat exinde conficere inſtrumentum, vel chartam; & ſi contrafactum fuerit, talis contractus, charta,

ſeu

ſeu inſtrumentum ipſo iure nullius ſit momenti; & prędicta non vendicent ſibi locum in contractibus dotium.

De Succeſſionibus ab Inteſtato. *Rubrica XXI.*

STatuimus, & ordinamus, vt, ſi aliquis Pupillus, vel Pupilla, adultus, vel adulta, ab inteſtato deceſſerit in Terra Cutignolæ, vel eius Diſtrictu, Mater, Auia, vel Proauia Pupilli, vel adulti, Pupillæ, vel adultæ, ſic defuncti, vel defunctæ, habeát, & habere debeant de bonis ipſius ſui filij Pupilli defuncti, vel adulti ſolam legitimam, ei debitam iure naturæ, & non vltra; ſi dicto pupillo infra annum, ſecundùm Ius commune, tutorem petierit dari; Agnati verò maſculi, & fęminę proximiores defuncto, totum habeant reſſiduum, & quod ante dictum eſt, in adultis, & pupillis locum habeat, ſi ab inteſtato deceſſerit; quod Statutum in omnibus ſuis partibus ſit præcisũ, vt tolli, vel mutari nõ poſſit in aliquo.

De Tutoribus, & Curatoribus. *Rubrica XXII.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus pro publica, & euidenti vtilitate hominũ Terrę Cutignolæ, vt cuiuſlibet maſculi minoris xiiij. annis; fęminę verò xij. quibus pater eorũ nullum dederit Tutorem in teſtamento; Agnati maſculi maiores xxv. Annis ſint, & eſſe debeant Tutores legitimi, excepto, quod ſi Mater talis Pupilli viueret, quæ ad alia vota non tranſierit, quo caſu ipſa mater ſit, & eſſe poſſit tutrix filiorum ſuorum, ſi voluerit, & eodem modo Auia, & Proauia, poſſit eſſe tutrix, ſi voluerit, Agnatis excluſis, ſecundùm formam Iuris communis, & hoc, ſi Mater non eſſet in medio; Si verò dicti pupilli nullum habuerint Agnatum, nec Matrem, Auiam, vel Proauiam, tunc ad tutelam eorum vocentur cognati maſculi maiores viginti quinque annis, hoc eſt, illi, qui ſunt dictis minoribus coniuncti ex linea matris, quo caſu dictis tutoribus Dominus Vicarius Terræ Cutignolę decernat tutelam talium pupillorum; Si verò dicti Pupilli nullum habuerint Agnatum, vel Cognatum, nec Matrem, Auiam, vel Proauiam, quæ ad ſecunda vota non conuolauerit; tunc Capitaneus, vel Vicarius, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat eis dare tutores per inquiſitionem meliores, & legaliores, quos poterit inuenire; Qui omnes tutores, tam legitimi, quàm datiui, & etiam teſtamentarij, tutela eis decreta per Iudicem, iurent, & iurare debeant ad Sancta Dei Euangelia, omnia pupilli, vel pupillorum negotia bene, & legaliter ſe quæſituros, & exercituros, & quæ vtilia eis crediderint facturos, inutilia verò prætermiſſuros; Præſtent etiam, tam legitimi, quàm datiui, exceptis teſtamentarijs, quorum fides à teſtatore approbata eſt, ac etiam dati à Iudice per inquiſitionem, idoneam fideiuſſionem, rem pupilli ſaluam fore, periculo eorum, qui eos approbauerint.

Quid

Quid Tutores gerere & quomodo adminiſtrare Pupillorum Tutelam debeant. Rubrica XXIII.

PRæterea ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes Tutores, mox cum fuerint ordinati, & tutela eis decreta, teneantur, & debeant facere inuentarium bonorum omnium Pupilli, quæ inuenerint, coram Domino Vicario, vel Capitaneo apud Acta; Qui verò inuentarium non fecerit, non poſſit vllo modo adminiſtrare tutelam. Poſſint etiam dicti pupilli habere Curatores, vel Procuratores ad lites, dummodo eos conſtituerint cum auctoritate ſuorum Tutorum, vel Iudicis; Adulti verò maſculi, & fęminę habere poſſint, & debeant Curatores, ad eorum gerenda negotia, & ad lites ſi oportuerit, ſecundùm formam iuris communis; Quibus Curatoribus per Iudicem ipſorum adultorum cura decernatur, & etiam ad lites conſtituantur, qui iurare debeant, ac præſtare fideiuſſionem, vt in Tutoribus dictum eſt. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, ne pupilli, vel adulti, per Tutores, vel Curatores, ſuis commodis defraudentur; Qui omnes Tutores, vel Curatores, cuiuſcunque generis ſint, aliena adminiſtrantes negotia, teneantur, & debeant ſingulis annis, poſtquam tutela eis decreta fuerit, quolibet anno ſemel, ſuę adminiſtrationis reddere rationem coram tribus proximioribus conſanguineis dicti Pupilli, vel Adulti, & procuratoribus communis Cutignolæ, qui pro tempore fuerint, pœna, & banno pro quolibet Tutore, & Curatore, & qualibet vice, qua rationem non reddiderint, viginti ſolid. boneñ. & quilibet poſſit denuntiare, & accuſare, & teneatur ſub ſilentio: quòd Statutum ſit præciſum in omnibus ſuis partibus.

De repudianda, vel abſtinenda hæreditate. Rubrica XXIV.

ITem ſtatuimus, & ordinamus pro publica, & euidenti vtilitate hominum Terræ Cutignolæ, vt, quotieſcunque aliquis de Terra Cutignolæ, vel eius Diſtrictu, deceſſerit, relicto vno hærede, vel pluribus ex teſtamento, vel ab inteſtato, & ille talis hæres, ſiue fuerit teſtamentarius, ſiue ab inteſtato ſuccedat, habuerit ſuſpectam illam hęreditatem, ſic ei ex teſtamento, vel ab inteſtato delatam, & eam repudiare voluerit, vel abſtinere ab ea, teneatur, & debeat eam repudiare, vel ab ea abſtinere infra ſpatium trium menſium, enumerandorum à die mortis teſtatoris, vel defuncti, cuius talis hęreditas fuerit, ſi penitus eam repudiare voluerit; Si verò neſcius, & dubitans fuerit, vtrum eam repudiare, vel ab ea abſtinere voluerit, teneatur, & debeat facere inuentarium infra dictum ſpatium trium menſium coram Iudice, vel Capitaneo apud acta de omnibus bonis, quæ in tali hæreditate inuenerit, incipiendo, & finiendo dictum inuentarium infra dictũ tempus; & hoc, ſi talis hæres fuerit maſculus maior decimo quarto, fęmina verò maior duodecimo anno; Si verò fuerit pupillus, vel pupilla, cui talis hæreditas fuerit delata ex teſtamento, vel ab inteſtato, & eam repudiare voluerit, teneatur, & debeat eam repudiare, vel ab ea abſtinere cũ auctoritate ſui Tutoris

coram Iudice apud acta, infra ſex menſium ſpatium, enumerandorũ à die mortis teſtatoris (vt dictum eſt) & hoc, quando penitus eam exiſtimat ſibi damnoſam; Si verò dubitauerit, an fuerit damnoſa, vel lucroſa, teneatur, & debeat facere inuentarium infra dictum tempus ſex menſium, ſi quod facere voluerit, incipiendo, & finiendo dictum inuentarium infra dictum tempus ſex menſium; quibus caſibus maior, & minor hæres, ſi hæreditatem repudiauerint, vt dictũ eſt; vel ab ea abſtinuerint, oneribus hæreditarijs nullatenus teneantur; Si verò inuentarium fecerint infra tempora, vt dictum eſt, his gaudebunt beneficijs; quia creditoribus hæreditarijs non erunt obligati vltra vires hæreditarias: Habeant etiã licentiam defalcandi omnia legata, & fideicommiſſa, & ſic eius legitimam, vel quartam partem retinere, detrahendo falcidiam de omnibus legatis, & fideicommiſſis pro rata, quouſque legitima ſua patitur, vel quarta; Qui verò Inuentarium infra dicta tempora trium menſium in maioribus xiiij. annis, vel xij, & ſex menſium in minoribus reſpectiuè non fecerit, vel dictam hæreditatem non repudiauerit, vel ab ea non abſtinuerit; infra dicta tempora, non poſſit poſtea vnquam repudiare, vel ab ea abſtinere, nec inuentariũ facere; ſed penitus omnibus oneribus hęreditarijs ſatisfacere compellatur, ſiuè hęreditas fuerit ſoluendo, ſiue non; quæ omnia locum habeant, ſiue ſit vnus hæres, ſiue plures; & prædicta renuntiatio, vel inuentarium corã Domino Capitaneo, vel Vicario fieri debeat, & aliter facta, non valeat, & ſit præciſum.

De Sepibus finalibus. *Rubrica XXV.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes de Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu, habentes confinare inſimul, teneantur, & debeant facere ſepes, & muros finales æqualiter, & communiter, quilibet pro parte ſua, & idem intelligatur de areis, & hortis, exiſtentibus extra Terram; Si verò murare nollent, vel non poſſent, teneantur facere vnum Viminatum communibus expenſis bene impaſtatum, vel parietem de terra infra decem dies, poſt querelam motam, numerandos; Si verò alter ex conuicinis vellet murare cum lapidibus, alter verò nollet, teneatur ille conuicinus, qui murare noluerit, dare murare volenti tantum de ſuo terreno, vt ſuper eum murare poſſit; ſiue vellet murare inter domum, & domum, ſiue inter terrenum, & terrenum, ſiue inter domum, & terrenum; Quo muro facto, & perfecto, poſſit conuicinus, qui terrenum dedit, ſuper illo muro ædificare, & murare quicquid voluerit pro ſuæ libito voluntatis; dummodo faciat ſine periculo muri; quamuis non conſentiat ille, qui murum fecit; Si verò aliquo tempore deſtrueretur dictus murus, tunc lapides ſint illius, qui murum fecit; terrenum verò illius ſit, cuius fuerat ab initio: Nec poſſit ille, qui murum fecit, deſtruere inter domum, & domum ſine iuſta, & rationabili cauſa; In alijs verò locis factum, poſſit ille, qui fecit, ipſum murum deſtruere, pro ſuæ libito voluntatis; Quæ omnia faciat obſeruari Dominus Capitaneus, vel Vicarius Terrę Cutignolæ abſque libello, vel lite aliqua mouenda, & ſit præciſum.

De Eman-

De Emancipatione liberorum. *Rubrica XXVI.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes Emancipationes, quæ fiunt in Terra Cutignolæ, debeant fieri coram Domino Capitaneo, vel Vicario, cui emancipationi dictus Dominus Capitaneus, vel Vicarius ſuam auctoritatem interponat, & decretum: quę omnia redigi debeant in ſcriptis per vnum Notariũ corã tribus teſtibus, & aliter facta, ipſo iure non valeat, & ſit pręciſum.

De Protocollis Notariorum defunctorum. *Rubrica XXVII.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus pro publica, & euidenti vtilitate hominum Terræ Cutignolæ, vt quotieſcunque aliquis Tabellio, ſiue Notarius de dicta Terra decederet, cuius Protocolla eſſent committenda alicui Notario, vt ea exemplaret, & in publicam formam reduceret, ille talis Notarius, qui vellet dicta Protocolla ſibi committi, exemplanda, & authenticanda, teneatur, & debeat ſuam in ſcriptis offerre petitionem Domino Capitaneo, vel Vicario dictæ Terrę, qui pro tempore fuerit, & eam proponat in Conſilio generali; & quicquid firmatum fuerit per ipſum Conſilium, habeat plenum robur; ita tamen, vt committant ipſa Protocolla, authenticanda ipſi Notario, petenti, vel alteri, ſi prædicto Conſilio videbitur. Qui Notarius, cui ſic dicta Protocolla, authenticanda, commiſſa fuerint, debeat, & teneatur ipſa fideliter authenticare, & exemplare, & eis plenaria detur fides, quemadmodum, ſi Notarius mortuus ipſa inſtrumenta, & protocolla authenticaſſet.

De Fideiuſſoribus. *Rubrica XXVIII.*

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt ſi quis pro aliquo hactenus fuerit fideiuſſor in Ciuili vel Criminali, aut pro aliquo principaliter, & inſolidum obligatus alicui per inſtrumentum, vel præceptum, aut ſine pręcepto, vel inſtrumento, aut obligabitur in futurum, & damnum aliquod fuerit paſſus, ſeu in futurum pateretur pro ipſa fideiuſſione, contra ipſum principalem, Dominus Capitaneus, vel Vicarius, dicto fideiubenti ſummariè teneatur facere rationem; & confeſſio Actoris, qui debitum receperit cum ſacramento fideiuſſoris, agentis, habeatur pro legitima, & plena probatione; & etiamſi hoc probaret per inſtrumentum indemnitatis, vel per alias legitimas probationes. Pręterea ſtatuimus, & ordinamus, vt, ſi fideiuſſores ſuos principales in iudicio præſentarent, ſint, & intelligantur abſoluti ab obligatione, per eos facta, dummodo ipſi principales, ſic præſentati, ſint ſoluendo; Si verò principalis non fuerit ſoluendo in totum, vel in partem, tunc fideiuſſor efficaciter teneatur ad ſolutionem eius quantitatis, in qua ſoluendo non fuerit reus principalis: & Capitaneus, vel Vicarius ipſis fideiuſſoribus præſtare debeant auxilium, & fauorem, vt poſſint ipſos principales in Iudicio præſentare, ſeu euocare.

De litibus exiſtentibus inter Patrem, & Filium, ac alios Agnatos. *Rubrica* XXIX.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt quotieſcunque lis, vel quæſtio moueretur in Terra Cutignolæ inter patrem, & filium, inter fratrem, & fratrem, & quoſcunque alios ex linea maſculina, Capitaneus, vel Vicarius vinculo ſacramenti, mota quæſtione, ſimpliciter oretenus, & ſine libello, vel ſcriptura, & de ipſis quæſtionibus ſummariè faciat rationem abſque libelli oblatione, vel ipſam quæſtionem committat, vel ad compromittendum litigantes cogat in duobus proximioribus attinentibus, uel communibus amicis, & ipſos cogat ad ipſam quæſtionem terminandam.

Quòd poſſit dari de Bonis ſuis in ſolutum. *Rubrica* XXX.

STatuimus, & ordinamus, vt ſi aliquis de cætero eſſet obligatus alicui in certa quantitate pecuniæ ex inſtrumento, vltima voluntate, vel qualibet alia ſcriptura, vel alia quacunque obligatione, & pro ipſa quantitate pecuniæ in Iudicio cogeretur per creditorem ſuum ad ſoluendum debitum, dictus creditor teneatur, & cogatur accipere in ſolutum pro ſorte, & expenſis de bonis mediocribus ſui debitoris, primò de mobilibus, ſecundò de immobilibus, tertiò de nominibus debitorum, & hoc locum habeat in quantitatibus trium librarum, & ab inde ſupra; In quantitatibus verò trium librarum, & ab inde infra, teneantur ſoluere debitores creditoribus ſuis in pecunia numerata, & hoc ſtatutum non habeat locum in pecunijs, quæ deberentur pro Gabellis; nec locum habeat in pecunijs, quæ deberentur ex cauſa præcepti in confeſſum; Hæc enim in pecunia numerata ſoluere teneantur, cæterum æſtimentur prædicta bona, quæ dare voluerit debitor in ſolutum, per Procuratores Communis, & fiat per ipſos talis æſtimatio, vt creditor vendendo ipſa ſtatim bona, poſſit conſequi, quod recipere debet, & expeñ. aliàs dicti Procuratores dicto creditori teneantur ad ſuum damnũ, & intereſſe, & dicti Procuratores pro eorum labore habeant id, quod Domino Capitaneo, vel Vicario videbitur fore iuſtum, facti qualitate penſata.

FINIS SECVNDI LIBRI.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

De Maleficijs. *Rubrica I.*

STATVIMVS, & ordinamus, vt Capitaneus, ſiue Vicarius Terrę Cutignolæ ſuper quolibet maleficio, ſeu crimine poſſit procedere per accuſationem, vel denunciationem, ſeu per inquiſitionem, provt ſibi videbitur, & quotieſcunque Capitaneus vel Vicarius Terræ Cutignolæ, qui nunc eſt, vel pro tempore erit, cęperit inquirere de aliquo maleficio, ſeu crimine, de cętero committendo (quod abſit) in Terra Cutignolæ, vel eius Diſtrictu, & aliquis vellet de dicto maleficio, ſeu crimine, accuſationem porrigere coram ipſo Domino Capitaneo, vel Vicario, debeat Capitaneus, vel Vicarius accuſationem ſuſcipere, & ea ſuſcepta ab inquiſitione deſiſtere; niſi per inquiſitum ipſi inquiſitioni, ante inſtitutam accuſationem, fuerit reſponſum, ſeu fuerit contumax in reſpondendo; quibus caſibus aduenientibus, eius cedat arbitrio, ſuper quo procedere maluerit ad maleficium perquirendum; Si verò Capitaneus, vel Vicarius ipſam accuſationem ſuſceperit, procedat in ipſa; & ſi accuſator ipſam accuſationem probauerit, fiat condemnatio, provt de iure debebit; Si verò dictus accuſator ſuam accuſationem nō probauerit, poſſit dictus Capitaneus, vel Vicarius de dicto maleficio, ſeu crimine inquirere ſemel, & pluries; donec veritatem inuenerit; non obſtante, quòd dictus Accuſator ſuam accuſationē nō probauerit, ſeu ipſam nō fuerit proſecutus; puniatur tamen dictus accuſator, ſic deficiens in probatione; Poſſit etiam dictus Capitaneus, ſiue Vicarius inquirere ex ſuo mero officio, & ſine promotore, & denuntiatore, vel cū promotore, & denuntiatore ſimul ſolemnitatibus iuris ſeruatis, de quolibet maleficio publico, & priuato, & de graui, quotieſcunque voluerit; De leuibus verò maleficijs, non poſſit per inquiſitionem, vel promotionem alicuius procedere, vel aliquem cōdemnare, ſeu moleſtare; niſi per accuſationem iniuriati. Teneatur etiam dictus Capitaneus, vel Vicarius Terræ Cutignolæ ſuos proceſſus definire, & terminare infra vnum menſem, poſtquam Reus fuerit requiſitus; proceſſus verò ſui Prædeceſſoris definire, & terminare debeat infra viginti dies, ab introitu ſui regiminis numerandos; quod ſi non fecerit, vel aliquid de prædictis omiſerit, & ob hoc, Commune Cutignolæ damnum aliquod pateretur, de ſuo ſalario reficere teneatur.

De illis, qui non probauerint, ſeu perſecuti fuerint ſuas Accuſationes. *Rubrica II.*

STatuimus, & ordinamus, vt ſi quis de cætero accuſauerit aliquem coram Dño Capitaneo, vel Vicario Terrę Cutignolæ de aliquo maleficio, ſeu crimine, teneatur, & debeat iurare ad Sancta Dei Euangelia vera eſſe oĩa, & ſingula, in accuſatione contenta, & ſe animo calumnię non accuſare, ac etiam debeat præſtare fideiuſſionem de viginti ſolid. & de reficiendis expenſis Accuſato, ſi non probauerit; & ſuam accuſationem ſe vſq; ad finem proſecuturũ bona fide ſine fraude; quam accuſationem ſi non fuerit proſecutus, vel ipſam nõ probauerit, condemnetur Accuſator in expenſis, & in viginri ſolid. Ille verò ſuam accuſationem proſequi intelligatur, qui iurauerit, & præſtiterit fideiuſſioem, vt dictum eſt; Et qui Accuſatũ citari fecerit; & qui teſtes ſuper ipſa accuſatione produxerit, ac etiam ipſos teſtes citari fecerit; & nullus poſtquam accuſauerit, valeat, vel poſſit ſuæ accuſationi renunciare, inuito Capitaneo, vel Vicario; Et ſi renunciauerit, nihil valeat, ipſo iure ſaluo: quòd ſi aliquis accuſaret aliquem de verbis iniurioſis, vel de aliquo leui crimine, poſſit ſuæ accuſationi impunè renunciare, infra tertium diem; qua renunciatione facta, ſuper ea procedi non poſſit. In damnis verò datis nemo teneatur accuſationem proſequi, ſi noluerit, nec fideiuſſorem præſtare de ea proſequenda; iurare tamen teneatur, vera eſſe omnia, & ſingula, in accuſatione contenta, & ſe animo calumnię non accuſare, pro vt ſuperiùs continetur: liceat tamen cuilibet Accuſatori de damno dato, infra tertiam diem, ſuæ accuſationi impunè renunciare, & ſoluat Maſſario Communis duos ſolidos.

Infra quantum tempus Accuſans debeat proſequi ſuam accuſationem. *Rubrica III.*

STatuimus, & ordinamus, vt quicunque accuſauerit aliquem coram Domino Capitaneo, vel Vicario Terræ Cutignole de aliquo maleficio, ſeu crimine, excepto damno dato, ipſam accuſationem proſequi teneatur infra quinque dies, poſtquam accuſatus reſponderit accuſationi contra ipſum conſtitutæ: Si verò infra dictum tempus ipſam accuſationem non fuerit proſequutus, condemnetur Accuſans, prvt continetur in ſuperiori Rubrica. Accuſatus verò abſoluatur ab inſtantia Accuſatoris; Et ſi accuſator iterum accuſare voluerit de dicto maleficio, ſeu crimine, non audiatur, niſi primò omnes expenſas Accuſato refecerit, quas dictus accuſatus in priori accuſatione iurauerit, ſe feciſſe, à Domino Capitaneo, vel Vicario taxatione præmiſſa.

Quomodo ſit aliquis in criminali cauſa citandus. *Rubrica IV.*

DElinquens ex parte Domini Capitanei, vel Vicarij citatus per Plazarios Communis ſemel perſonaliter, vel domi bis, infra tertiam diem in qualibet dictarum citationum debeat comparere ad ſe excuſandum, & defendendum ab aliqua excuſatione, denunciatione, vel inquiſitione coram ipſo

Capitaneo vel Vicario, ſi poterit; alioquin dictus Capitaneus, vel Vicarius contra eum de iure procedet, eius abſentia, vel contumacia non obſtante, quòd citatio ſcribatur, ſic in actis per Notarium, iuxta quam citationem ſcribatur relatio Plazarij, quomodo talem citauit perſonaliter, vel domi ſecundùm formam ſuæ commiſſionis; Qui Dominus Capitaneus, vel Vicarius teneatur, & debeat tempore dictæ citationis per Plazarium, qui citauerit, mittere quamdam cedulá manu Notarij maleficiorum dicto accuſato, vel inquiſito, in qua contineatur totus tenor accuſationis, vel Inquiſitionis cum nomine accuſantis, & delictum, de quo accuſatus inquiritur; aliàs citatio non valeat ipſo iure, infra quam dilationem, ſibi aſſignatam, ſi Reus venerit, ipſi accuſationi, denunciationi, ſeu inquiſitioni incõtinenti reſpondere cogatur, & detineatur, & cuſtodiatur ſuis expenſis proprijs in domo, vbi redditur ius; vel in carceribus; ſi procederetur cõtra eum ſuper aliquo maleficio, ſeu crimine, quod exigeret pœná mortis, ſeu ſanguinis: Si verò maleficium, ſeu crimen exigeret tantùm pœnam pecuniariam, non detineatur, ſi dederit idoneum fideiuſſorem ad voluntatem Domini Capitanei, vel Vicarij: idonei autem fideiuſſores intelligantur, quos Procuratores Communis approbauerint; Qua reſponſione, ſeu conteſtatione facta ſtatuatur ei terminus trium dierum, & peremptoriè ad omnem ſuam defenſionem faciendá; ſi quam facere potuerit, vel voluerit, detinẽdo ipſum in domo iuris, ſeu carceribus Communis prædicti, vel ab ipſo idoneum fideiuſſorem accipiendo, ſecundum quòd exigit qualitas criminis, vt ſuperiùs dictum eſt; & prædicta locum habeant in habitatoribus Terræ Cutignolæ, & Diſtrictu eius; In alijs verò octo dierum terminus aſſignetur. Poſſit autem Capitaneus, vel Vicarius prædictum terminum trium dierum habitatoribus, & octo dierum alijs non habitantibus, prorogare, & minuere, pro vt crediderit expedire; Si autem citatus non comparuerit infra terminum, ſibi ſtatutum, ponatur, & cridetur in banno ſecundùm formam Statuti, proxime ſubſequentis; Prætera quicunque comparuerit ad ſuam defenſionem ſuper aliquo maleficio, ſeu crimine, antequam reſpondeat accuſationi, inquiſitioni, ſeu denunciationi, iurare cogatur, de veritate dicenda ſuper his, de quibus interrogabitur.

Quòd ille, qui non comparuerit in termino, ponatur in Banno. Rubrica V.

STatuimus, & ordinamus, vt, quicunque citatus fuerit ſuper aliquo maleficio, ſeu crimine, exceptis damnis datis, & maleficijs exigentibus pœnam viginti ſolid. tantùm, vel ab inde infra, & infra ſibi ſtatutam, non comparere curauerit, ſed potiùs ſe contumaciter abſentauerit, ponatur, & cridetur in banno de tota terra Cutignolę, & eius Diſtrictu per Bannitorem communis ad banchum iuris alta voce de tanta quantitate pecunię, quantam dictus Dominus Capitaneus, vel Vicarius crediderit conuenire; In quo quidem banno ſtatuatur dilatio quinque dierum, & peremptoriè ad comparẽ; Si fuerit habitator Terrę Cutignolę, vel Diſtrictus: Si verò non fuerit habitator, ſtatuatur ei dilatio octo

dierum

dierum, & peremptoriè; qui, ſi infra dilationem dicti banni comparuerit, incontinenti cogatur reſpondere accuſationi, inquiſitioni, ſeu denuuciationi, contra ipſum inſtitutæ & ſuper ipſa litem conteſtari, nulla ei data copia, inquiſitionis, accuſationis, ſeu denunciationis propter eius contumaciam; dum tamen, antequam audiatur, ſoluat Maſſario Communis in pecunia numerata quinque ſolid. boneñ. pro cancellatione banni, & ſex denarios Bannitori, qui ipſum bannum cridauerit: qua ſolutione facta, ipſum bannum cancelletur, & nullius ſit momenti; detinendo ipſum in palatio, vel carceribus Communis, vel ab ipſo accipiendo idoneum fideiuſſorem, ſecundùm qualitatem criminis, pro vt in ſuperiori Rubrica continetur: Qua reſponſione, & litis conteſtatione facta, debeat habere copiam accuſationis, vel inquiſitionis, ſi voluerit; Si verò infra dilationem dicti banni non cōparuerit, ſed omnino contumax fuerit, habeatur pro conuicto, & confeſſo de omnibus maleficijs, criminibus, & delictis, de quibus contra eum quomodolibet procederetur, ac ſi ipſa maleficia, crimina, ſeu delicta eſſet ore proprio confeſſus, vel ea eſſent teſtibus probata; Qui reus, ſic habitus pro conuicto, & confeſſo condemnetur, ſecundum qualitatem criminis ſeu delicti, computando bannum, ſibi datum, in condemnatione, quæ fit contra ipſum. Inſuper proceſſus factus, vel qui de cœtero fieret per Capitaneū, vel Vicarium in huiuſmodi contumaces ante bannum, vel poſt infra dicta tempora, non poſſit dici nullus, vel irritus, nec annullari, vel irritari valeat occaſione ſolemnitatis omiſſæ, vel iudiciarij ordinis prætermiſſi; ſed talis proceſſus in ſuo robore perſeueret.

Quòd nemo audeat blaſphemare Deum, vel Virginem Mariam, nec aliquem ex Sanctis eius. Rubrica VI.

HAc edictali lege ſancimus, vt nemo audeat, vel præſumat blaſphemare Deum, ſeu Beatam Virginem Mariam, vel aliquem ex Sanctis eius; Si verò aliquis, ſpiritu diabolico inductus, ſeu inſtigatus, immemor ſalutis æternæ, mente improba Deum, vel Beatam Virginem Mariam blaſphemauerit, condemnetur in centum ſolid. boneñ. quam pœnam ſi ſoluere non poterit fuſtigetur per Terram Cutignolæ; ſi verò aliquis Satanæ filius, in deſperationē deductus, figuram Diuinæ Maieſtatis, aut Beatæ Mariȩ Virginis, vel Sanctorum eius manu, vel gladio, vel lapide, vel alio inſtrumento ſtudioſè percuſſerit, talis percuſſor condemnetur in quinquaginta libris boneñ. quas ſi ſoluere non poterit infra decem dies, manus eius, qua percuſſerit, totaliter amputetur, & in prædictis omnibus caſibus quilibet poſſit denunciare, & accuſare, & credatur eius Sacramento cum duobus teſtibus fide dignis, & hoc, vbi pœnam pecuniariam delictum exigat; aliàs autem tres teſtes fide digni debeant interuenire, & habeant medietatem condemnationis, accuſantes aliquem de prædictis; Et ſi denuntiauerint percutientem, habeant de ȩre communis ſolid. centum boneñ. Et hoc ſi accuſatus peruenerit in fortiam dicti Communis; & in credentia teneatur

quilibet

quilibet accuſans aliquem de prædictis; Hoc inſuper addito, quòd .ſ. Capitaneus, & Vicarius qualibet hebdomada teneatur inquirere, & delinquentes debitis pœnis punire, habito ſacrarum legum reſpectu.

De Homicidis, & pœna eis inferenda. *Rubrica VII.*

QVi gladio ferit, gladio perire debet; Ideo ſtatuimus, & ordinamus, vt quicunque de cætero interfecerit aliquam perſonam in Terra Cutignolę, vel eius diſtrictu (quod abſit) ſi captus fuerit, & in fortiam Capitanei, vel Vicarij, & Communis Cutignolæ deductus fuerit, & maleficium probatum fuerit contra eum per eius confeſſionem, vel per duos teſtes bonæ opinionis, & famę, capite puniatur ita, & taliter, vt anima à corpore ſeparetur, & penitus moriatur. Si quis verò proditoriè homicidium in perſonam alicuius commiſerit, vſque ad Furcas cum Aſſide ad caudam Aſini protrahatur, & in ipſis furcis laqueo ſuſpendatur; itaut penitus moriatur, & omnia eius bona, ſic proditoriè homicidium committentis, mobilia, & immobilia, iura, & actiones deueniant ad dictũ Comitem Sfortiã de Attendulis, vel in Cõmune Terræ Cutignolæ, & ſint ipſa bona dicto Communi iure ipſo confiſcata: Quæ publicatio bonorum habeat ſolummodo locum, vbi filius, vel filij legitimi, & naturales eius non extarent; Si autem minimè capi potuerit, citetur, & banniatur, & bona eius, tam mobilia, quàm immobilia, videlicet eo caſu, quo in fortiam Communis nõ peruenerit; ſed potiùs in bannum dicti Communis concurrerit, in eius contumacia perſiſtendo: Veniant autem in commune in vtroque caſu, tam proditoriè, quàm non, non extantibus dictis filijs, vt ſuperiùs dictum eſt; Quorum omnium bonorum medietas dictorũ Sfortiæ, vel Communis; reliqua verò medietas ſit partis offenſę, & ei debeat applicari, & de dicto maleficio habeatur pro confeſſo, & conuicto, ac ſi eſſet ore confeſſus, vel teſtibus ſuperatus. In hoc caſu, & in alijs, Mulieribus dotes ſaluas, & integras reſeruantes. Qui malefactor condemnari debeat, vt ſi quo tempore peruenerit in fortiam dicti Communis, capite puniatur, ita & taliter, vt penitus moriatur, & quilibet poſſit eum, ſic bannitum in rebus, & in perſona offendere impune.

De Aſſaſſinis, Falſarijs, & alijs diffamatis perſonis. *Rubrica VIII.*

ASſaſſini, Proditores, Falſarij, Sacrilegi, Incendiarij, Rubatores, Fures, Latrones, & cęteri alij maioribus criminibus inquinati, ac infamati, ſtatuimus, & ordinamus, vt realiter, & perſonaliter puniantur arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij, conſiderata conditione perſonæ, & qualitate facti; & nullus audeat, vel præſumat aduocare, vel procuratorem facere in fauorem huiuſmodi talium perſonarum pœna, & banno viginti quinque librarum boneñ. cuilibet contrafacienti, & qualibet vice: & quod dictum eſt de procuratione, & aduocatione, vendicet ſibi locũ, vbi talia crimina notoria fuerint; & nihilominus

eorum

eorum Aduocatio, ſeu procuratio non teneat ipſo iure in caſu prædicto; Inſuper teneatur Capitaneus, vel Vicarius, qui nunc eſt, vel pro tempore erit, facere publicè proclamari per Terram Cutignolæ, quòd huiuſmodi infamatæ perſonę infra duos dies de Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu diſcedant ſub pœna æris, & perſonarum arbitraria.

De Pœna dicentis verbum iniurioſum. Rubrica IX.

VErbum iniurioſum, ſiue contumelioſum ſi quis alicui dixerit, videlicet Proditor, falſus; Nequam, vel mortem Patris, vel Matris, vel alterius eius conſanguinei vſque ad ſecundum gradum improperauerit, Sancimus, vt pro quolibet prædictorum verborum, & qualibet vice, in quinque libris boneñ. pœnæ nomine condemnetur; Si quis verò alia verba iniurioſa, vel contumelioſa dixerit, pro quolibet verbo, & qualibet vice viginti ſolid. boneñ. pœnæ nomine ſe ſubiacere nouerit.

De Pœna inſultantis aliquem ſine Armis. Rubrica X.

SIne armis aliquem, mouendo ſe à loco ad locum, irato animo, & malo modo inſultans, ſtatuimus, & ordinamus, vt pœna viginti ſolid. boneñ. puniatur; Si verò manu vacua admenauerit, & nõ percuſſerit, in quadraginta ſolid. boneñ pro qualibet vice debeat condemnari; Si verò ipſa manu vacua percuſſerit in facie, vel capite, vel gula, vel à collo ſupra ſine ſanguine, in decem libris boneñ pro vice qualibet puniatur; Si verò percuſſerit cum ſanguine in viginti quinque libris penitus mulctetur; Si verò percuſſerit à capite infra, ſi ſine ſanguine, in centum ſolid. boneñ. Si verò cum ſanguine, in libris decem boneñ. puiatur; Si verò vnguibus ſcalpſerit ſine ſanguine, in ſolid. quadraginta; Si cum ſanguine, in ſolid. centum; In quauis parte perſonæ citra faciem; Si in facie, in duplũ condemnetur; Et ſi expuerit in faciem, in decem libris boneñ. ſit condemnandus; Si verò per pilos barbæ quis arripuerit aliquem, in viginti libris bon. pro vice qualibet condẽmnetur; Si verò in faciem alicuius cænum, vel lutum, vel aliam turpitudinem quis proiecerit, condemnetur in decem libris boneñ. Si verò in aliam perſonæ partem in ſolid. boneñ. centum condemnetur.

De pœna inſultantis, & percutientis aliquem cum Armis. Rubrica XI.

INſultans aliquem cum Armis in manibus, videlicet Lancea, Spata, Stoccho, Baſtone, Cultello, Mazza, Zaualetta, ligone promotorio, foſſorio, Ronchone, Forchone, Falzone, vel ſtanga ferri, vel aliquo alio armorum genere; irato animo, & malo modo, ſtatuimus, vt ſi non admenauerit, in centum ſolid. bonen. puniatur; Si verò cum dictis armis, vel aliquo ipſorum admenauerit, & percuſſerit cum aliquo dictorum armorum in collo, vel à collo ſupra;

ſine

ſine ſanguinis effuſione, in quindecim libris bonenñ. pro qualibet percuſſione debeat condemnari: Si cum effuſione ſanguinis in quinquaginta libris boneñ. condemnetur. Si verò in facie, vel collo, cum ſanguinis effuſione quis aliquem percuſſerit, vnde enormis cicatrix eſſet remanſura, in centũ libris boneñ. debeat condemnari pro qualibet percuſſione. Si verò à collo infra cũ dictis armis quis aliquem percuſſerit ſine ſanguinis effuſione, in decem libris boneñ. puniatur pro qualibet percuſſione. Si verò frangeret aliquod os, in quinquaginta libris boñ. puniatur: Si verò cum ſanguinis effuſione quis aliquem percuſſerit à collo infra, in viginti quinque libris bonoñ. pro qualibet percuſſione decernimus puniendum. Et ſi enorme vulnus fecerit, in quinquaginta libris boñ. puniatur pro quolibet vulnere enormi, & enorme vulnus quando fuerit terminetur arbitrio Medicorum. Si verò quis naſum, vel aliquod aliud membrum amputauerit, in centum libris bonoñ. pœnæ nomine condemnetur; quas centum libras, ſi infra decem dies non ſoluerit Maſſario Cutignolæ, ſimile membrum ei amputetur, ſi habuerit: Si verò non habuerit ſimile membrum, arbitrio Capitanei, vel Vicarij puniatur, & hoc, vbi animo iniuriandi hoc fecerit. Si autem culpa quauis, & non caſu fortuito, hoc fuerit, puniatur arbitrio Capitanei, vel Vicarij. Si verò debilitauerit, & non amputauerit, in quinquaginta libris bonoñ. pœnæ nomine puniatur. Si verò quis aliquem iniurioſè decapillauerit, vel caputium, ſiue birettum de capite acceperit, vel impinxerit, in centum ſol. bonon. condemnetur, vbi impinctus non ceciderit: Si verò impinctus ceciderit, in decem libras bonon. decernimus puniendum. Si verò quis per pannos iniurioſè aliquem arripuerit, & vibrauerit comminando, & non dilacerauerit, in centum ſolid. bon. puniatur. Si verò dilacerauerit, in decem libris bonon. condemnetur. Si verò in prædictis maleficijs, vel in aliquo prædictorum, tam in hoc, quàm in pręcedenti capitulo cõtentorum minor xviij. annis deliquerit, mitiùs puniatur arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij. Si verò contigerit, ſimul plura maleficia per aliquẽ committi, ſolùm pro vno delicto, ſi maiori, puniatur committens, pœnis ſupradictis, in ſuo robore permanſuris.

Quòd Maſculi, & Fęminæ maiores xviij Annis ad teſtimonium in maleficijs admittantur. *Rubrica XII.*

MAſculi, & Fęminæ xviij. Annis in maleficijs ſtatuimus, & ordinamus, vt admittantur, & eorum dictis, & atteſtationibus credatur, & detur plena fides, lege aliqua, quæ in contrariũ loquatur, nõ obſtante.

De Pœnis, quæ debeant duplicari. *Rubrica XIII.*

POenę omnes delictorum, ac maleficiorum quorumcunque, quę nocte poſt Aue Mariæ ſignum, & ante ſonum campanæ diei committerentur, & eorum, quæ in domo, vbi redditur ius, & in platea Communis Cutignolæ,

&

& quę coram Capitaneo, vel Vicario committerentur, vel in foro die fori, vel in aliqua Eccleſia, ſtatuimus, & ordinamus, vt debeant omnino duplicari contra delinquentem, exceptis pœnis perſonalibus. Pœna verò illorum, qui dicerent verba iniurioſa, non debeant duplicari.

De pœna imponentis ignem. Rubrica XIV.

ITem qui poſuerit ignem in Domo, vel Albergo alterius appenſatè, & dedita opera, arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij puniri ſancimus, conſiderata perſona, & qualitate delicti, & emendet damnum paſſum, ſecundùm ęſtimationem faciendam per Procuratores Communis; & ſi non poſſet puniri realiter, perſonaliter puniatur, arbitrio Capitanei, vel Vicarij; facti qualitate pēſata.

De pœna praeſtantium auxilium, conſilium, vel fauorem. Rubrica XV.

SOcians, mandans, auxilians, vel conſilians ad committendum aliquod maleficium, ſimili pœna puniatur, qua maleficium committens.

De pœna imponentis ad domum alterius rem turpem. Rubrica XVI.

QVi cornua Beſtiarum, vel aliquod fœtens, vel aliquod aliud turpe nimis, aut ſcripturam, vel ſchedam, aut libellum famoſum, vel cantilenam, vel aliquod aliud, quod habitatori, vel Domino domus ſit diffamatoriū, vel opprobrioſum, ad domum ſtudioſe poſuerit, ſtatuimus, & ordinamus, vt in decem libris bonon. puniatur, de nocte; ſi verò de die, in quinque libris bonon. mulctetur.

De eo, qui negauit poſſeſſionem ad Accuſatorem ſpectare. Rubrica XVII.

ACcuſatus, denunciatus, vel inquiſitus ſi quis fuerit de occupatione, vel inuaſione, vel turbatione poſſeſſionis alicuius rei immobilis, & tempore excuſationis, vel ante, vel poſt, negauerit, poſſeſſionem ad Accuſatorem, vel denunciatorem ſpectare, ſtatuimus, vt ipſa negatio dicto excuſanti ſe nō proſit, niſi probauerit ipſe accuſatus, denunciatus, vel inquiſitus, cuius fuerit, & ſit poſſeſſio, de qua accuſatus, vel inquiſitus eſſet.

De Adulterio, Stupro, & Inceſtu. Rubrica XVIII.

ADulterium, Stuprum, ſeu Incæſtum cum aliqua muliere nupta, ſeu Virgine, vel Sanctimoniali, vel Vidua; vel cum aliqua muliere, honeſte viuente, committens contra voluntatem ipſarum mulierum, ſtatuimus, vt capite puniatur; Si verò, ipſis mulieribus volentibus hoc fecerit, cōdemnetur

in quinquaginta libris bonoñ. ſi hoc fecerit cum Virgine; Si autem cum Sanctimoniali, etiam volente, pœna legis puniatur; Si verò cum alia muliere, in viginti quinque libris bonoñ. condemnetur, & plus, & minus, arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij, conſiderata qualitate, & honeſtate mulieris, & conditione Viri eius, ac etiam perſona delinquentis; exceptis meretricibus publicis, ſe per pecuniam hominibus proſternentibus, quas nolumus, propter ipſarum vtilitatem, præſenti Statuto ligari; niſi ſi quis violenter habuerit rem cum eis; quia tunc talis violentiam inferens condemnetur in centum ſolid. boñ. Et in prædictis omnibus caſibus prædictę mulieres, & quælibet ipſarum pœnis legalibus ſubijciantur.

De illis, qui ſcripſerint falſa inſtrumenta, vel aliquam ſcripturam publicam. *Rubrica XIX.*

SI quis Inſtrumentum, ſeu charram, Teſtamentum, ſeu Codicillum, Donationem cauſa mortis, ſeu præceptum, vel ſententiam falſum, vel falſam ſcripſerit, Statuimus, vt manus eius dextera amputetur, & qui fieri fecerit, ſeu mandauerit, in centum libris bonoñ. condemnetur; Si verò ſcripſerit, ſeu fecerit aliquam aliam ſcripturam publicam falſam, condemnetur in libris quinquaginta bonoñ. & perpetuò ſit infamis, & vltra puniatur, tam faciens, quàm fieri faciens, arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij, inſpecta conditione facti, temporis, & perſonarum.

De falſis Teſtibus. *Rubrica XX.*

FAlſum teſtimonium in cauſa Criminali, cuius pœna mortem exigat, quicunque tulerit, Statuimus, vt ei lingua, & manus dextera amputetur; Si verò exigat membri mutilationem, lingua ei ſolummodo abſcindatur; Si verò quis falſum teſtimonium tulerit in cauſa Criminali, vbi pœna pecuniaria reſultaret; Si pœna eſſet à viginti quinque libris bonoñ. ſupra, condemnetur in ducentorum libris bonon. Si verò à viginti libris infra, cõdemnetur in centũ libris bonon. & plus, & minus, arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij, inſpecta qualitate facti, & perſonarum. Inſuper, ſi quis falſos teſtes produxerit ex certa ſcientia, tam in cauſa Ciuili, quàm in Criminali, condemnetur in ducentorum libris bonon; ſi teſtis vnus, vel plures depoſuerint dicta ſua, & ſcripta fuerint in Quaterno vel charta; Si verò non depoſuerint, condemnetur in quinquaginta libris bonon. & plus, & minus, arbitrio Domini Capitanei, vel Vicarij, vt ſupra. & in prędictis omnibus caſibus ille, qui falſos teſtes produxerit, cauſam amittat ipſo iure, & infamis perpetuò ſit, & reputetur.

Quòd nemo prohibeat, aliquem teſtari. *Rubrica XXI.*

CVm liberum ſit vnicuique poſſe teſtari, & aliam vltimam voluntatem ꝯdere, dum tamen de iure, de rebus ſuis, donec vixerit; Ideò hac edictali lege ſancimus, vt nulla perſona audeat, vel pręſumat prohibere, aliquem maiorem quatuordecim Annis, ſeu aliquam maiorem duodecim Annis teſtari, ſeu aliquam aliam vltimam voluntatem condere; Qui verò contrafecerit, condemnetur in quinquaginta libris boñ. Si fuerit ex Attinentibus eius, cui prohibuerit vltimam voluntatem condere; Si verò non fuerit de Attinentibus eius, condemnetur in viginti quinque libris boñ. nec eidem, ſic defuncto, ipſe prohibens, nec aliquis ex eius liberis poſſit ſuccedere, vel aliquid de bonis dicti defuncti habere: ſed, ipſis excluſis, hæreditas perueniat ad alios proximiores ab inteſtato venientes.

De Pace tenenda, & ſeruanda. *Rubrica XXII.*

STatuimus, & ordinamus, vt quicunque ad inuicem ob aliquod maleficiũ, ſeu crimen, vel quomodolibet pacem fecerit de re aliqua, & alter ipſorum pacem ruperit, ſeu violauerit, aggrediendo, ſeu admenando, vel percutiendo, vel vulnerando, vel decapillando, vel pugnum, calcem, alapam dando, ſeu per pannos trahendo aliquem ex illis, cum quibus pacem fecerit, condemnetur in viginti quinque libris bonoñ, & de prædicta pace fracta non poſſit procedi, niſi per accuſationem partis, cui pax rupta fuerit, & de iniuria puniatur, ſecundùm formam Statuti: & nihilominus teneatur ad pœnam, in inſtrumento contentam. Pro verbis aũt iniurioſis, vel improperij, non intelligatur, pacem fuiſſe ruptam; niſi illa verba fuerint cauſa eius diſcordiæ, de qua pax facta fuit; ſed condemnetur pro dictis verbis iniurioſis, & improperij in duplo eius, in quo condemnandus veniret; ſi pacem non habuiſſent ad inuicem, ſecundùm formam Statuti dicti Communis.

Quod nemo violenter inuadat rem apud alium conſtitutam. *Rubrica XXIII.*

STatuimus, & ordinamus, vt nemo audeat, vel præſumat pro pria auctoritate ingredi, vel turbare, vel inuadere, ſeu occupare, vel apprehendere poſſeſſionem alicuius rei, apud alium conſtitutæ; ſed adeat Iudicem competentem, à quo mereatur licentiam obtinere, præſente, vel legitimè citato poſſeſſore: & qui contrafecerit, condemnetur in viginti quinque libris bonoñ. & poſſeſſionem expoliato penitus reſtituere compellatur, & prædicta intelligantur in poſſeſſione rerum immobilium; De Poſſeſſione verò rerum mobiliũ, condemnetur in decem libris boneñ. & rem reſtituat ſpoliato, provt ſuperiùs dictum eſt.

Quòd nemo incidere audeat Ripam Fluminis. Rubrica XXIV.

STatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona audeat, vel præſumat, quomodolibet, fraudulenter incidere, ſeu aliquo modo deſtruere Ripā Fluminis Alamoni, vel Senni; & qui contrafecerit, condemnabitur in centum libris boneñ; Et quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & credatur eius ſacramento, cum duobus teſtibus bonę opinionis, & famæ, & habeant medietatem condemnationis; Et ſi dictas centum libras ſoluere non poſſet infra decem dies, manus eidem dextera amputetur. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona audeat incidere, vel ſplanare ripam alicuius foſſati Communis pœna, & banno centum ſolid. & quilibet poſſit denunciare, & accuſare, vt ſupra; Pręterea qui ſplanauerit foſſatum alicuius priuatæ perſonæ, puniatur in viginti ſolid. bonen. pro qualibet vice.

De portantibus Arma vetita. Rubrica XXV.

STatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona Terrigena, vel forenſis audeat, vel pręſumat portare arma offenſibilia per Terram Cutignolæ; nec etiam per locum fori die fori pœna, & banno pro quolibet genere armorum offenſibilium, pro ſingulis armis offenſibilibus trium librarum bonen & amittat arma, & veniant in Commune: Ronchettam verò à buſcho, Falzonem à ſylua, ſecurim, & Furconem à letamine in prædictorum Armorum genere minime computamus: & quilibet pacificè, & quietè patiatur, ſe temptari à familia Capitanei, vel Vicarij, & quilibet, qui non pateretur, ſe temptari, & effugeret, condemnetur in centum ſolid. bonen & in prædictis omnibus pœnæ duplicentur contra portantes de nocte; Ab hoc enim ſtatuto excipimus omnes, tam terrigenas, quàm forenſes, euntes, & redeuntes extra dictam Terram, quibus ſit licitum ferre arma, quouſq; acceſſerint ad domum ſuæ habitationis, vel vbi volunt habitare, ſi fuerit forenſis: liceat etiam Notarijs, Procuratoribus, & Maſſario Communis, & Procuratoribus procurantibus pro aliquibus, in Curia Capitanei, vel Vicarij impune ferre arma.

Quòd nullus teneat aliquod impedimentum in Vijs publicis Communis. Rub. XXVI.

STatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona Terrigena, vel forenſis audeat, vel pręſumat tenere in locis publicis Communis currum, ligna, lapides, letamen, lutum, vel aliud impedimentum: Qui verò contrafecerit, condemnetur in quinque ſolid. bonen. Sed ab hoc ſtatuto excipimus lignamen portatum pro faciendo, ſeu reficiendo aliquam domum; Quod quidem lignamen poſſit impunè teneri in dictis locis publicis Cōmunis. Volumus inſuper, vt quilibet poſſit impunè tenere ligna ab igne apportata, & letamen extractum de ſtabulo, vel de Cortile, quinque diebus, & non vltra, ſub dicta pœna.

Quòd

Quòd Animalia mortua non deijciantur propè foueam Terræ Cutignolę. Rub. XXVII.

STatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona audeat, vel præſumat deijcere, vel deijci facere aliqua animalia mortua prope foueam Terrę Cutignolæ per centum perticas, pœna, & banno cuilibet contrafacienti, & pro qualibet vice viginti ſolid. bonen. & quòd quilibet poſſit eos denunciare, & accuſare, & credatur eius ſacramento ſine alia probatione, & habeat medietatem cōdemnationis, & teneatur in credentia.

Quòd nemo audeat receptare Malefactores. Rubrica XXVIII.

STatuimus, & ordinamus, vt nemo audeat, vel pręſumat aliquos malefactores in Terra Cutignolæ, vel in eius diſtrictu receptare, ſeu receptari facere, vel ſociare, vel receptantibus, ſeu ſociantibus præbere conſilium, auxilium, vel fauorem directe, vel per obliquum; pœna, & banno cuilibet contrafacienti, ſimili illi pœnæ, qua talis malefactor deberet puniri. Præterea, ſi quis ſociauerit, vel talem receptauerit, qui vulnerauerit aliquem, condemnetur ſimili pœna, vel minori, qua talis delinquens puniri deberet, arbitrio Capitanei, vel Vicarij, inſpecta qualitate facti, & perſonarum.

Quòd nemo ponatur ad tormentum, niſi indicijs præcedentibus. Rubrica XXIX.

STatuimus, & ordinamus, vt Capitaneus, vel Vicarius Terræ Cutignolæ non audeat, vel præſumat ponere ad tondulum, ſeu torquere aliquam perſonam niſi legitima præcederent indicia contra perſonam prædictam de crimine, ſeu delicto, de quo contra illam perſonam procederetur, & copia data inquiſito, denunciato, vel accuſato, & termino competenti ad reprobanda indicia; quo elapſo, ipſo non reprobante, torqueri poſſit, & tormentari moderatè ſecundùm formam Iuris; vel niſi eſſet aliter diffamatus, & ſuſpectus, & malæ conditionis; & aliter, & alio modo Capitaneus, vel Vicarius aliquem de Terra Cutignolæ non poſſit ponere ad tondulum, nec torquere, vel torqueri facere; Et ſi contrafactum fuerit, Capitaneus, vel Vicarius condemnetur in quinquaginta libris bonon. applicañ. Communi, & confeſſio facta per dictam perſonam tormentatam, non teneat ipſo iure. Præterea hoc edicto perpetuò valituro, firmamus, vt Capitaneus, vel Vicarius non audeat, vel præſumat facere carcerari aliquem de Terra Cutignolæ pro aliquo delicto, vel cauſa pecuniaria, ex quo velit, & poſſit ſatiſdare de quantitate petita, vel de qua veniret condemnandus ſecundùm formam Statutorum dicti Communis, conſiderata qualitate delicti; nec etiam pro aliquo eius debito: dummodo velit ſatiſdare; ſed in domo, vbi ius redditur, ſuis expenſis vna die debeat cuſtodiri; Et ſi in ipſa die non ſatiſdederit, poſſit carcerari; & hoc intelligatur in delictis, & cauſis, in quibus pœna ſanguinis exigenda non eſſet, ſub pœna prædicta, exceptis teſtibus, & Plazarijs.

Quòd

Quòd omnes teneantur obſeruare Statuta & Reformationes Cutignolæ. Rub. XXX.

STatuimus,& ordinamus, vt omnes habitantes in Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu,teneantur,& debeant obſeruare Statuta Cutignolę,in pręſenti volumine comprehenſa: Tranſgreſſores verò puniātur ſecundùm formā ipſorum ſtatutorum; Reformationes verò Conſilij generalis, hinc retrofactas, præſentibus ſtatutis minimè contrarias, vel aduerſas, ratificamus, & approbamus; niſi eſſent reprobatæ; Et quęcunque Reformationes deinceps fierent per generale Conſilium dictæ Terrę, habeant plenum robur,& volumus obſeruari.

Quòd nullus audeat cancellare, vel abolere Statuta Communis Cutignolæ. Rub. XXXI.

STatuimus,& ordinamus,vt nullus audeat,vel præſumat cancellare,ſeu abolere, vel abradere in totum, vel in partem Statuta,vel Reformationes Communis Cutignolæ, approbata, ſeu de cætero approbanda per Cōſilium generale; nec aliquid addere, vel detrahere, pœna, & Banno cuilibet contrafacienti, & pro qualibet vice, quinquaginta librarum; niſi quis fecerit de licentia Conſilij generalis, Capitanei, vel Vicarij dictæ Terræ; vel niſi ipſa Statuta, prouiſiones, vel Reformationes reprobata forent per ipſum Conſilium generale, vel per ipſum Comitem Sfortiam de Attendulis.

De Pœna Parricidarum. Rubrica XXXII.

PAtrem,vel Matrem, Auum,vel Auiam, Proauū, vel Proauiam, vel ab inde ſupra,& quemlibet eorum, quicunque necans quacunq; morte, & filiū filiam, nepotem, vel neptem, pronepotem, vel proneptem, vel quamcūq; aliam perſonam,per lineam directam deſcendentem,vel è conuerſo, legali pęna puniatur.

De Pœna eruentis oculum alterius perſonæ. Rubrica XXXIII.

OCulum alterius cuiuſcunq; perſonę appenſatè eruenti,eidem ſimilis eruatur, & hoc vbi pax nō fuerit habita inter delinquentem, & offenſum. Si verò habita fuerit pax quandocunq; ante ſententiam, tunc eo caſu condemnetur delinquēs in quinquaginta libris boñ. tantùm; Si verò nō habita fuerit pax in vigintiquinque libris boñ. vltra ipſum oculum eruendū, cōdemnetur.

De pœna eius, qui cognouerit carnaliter non nuptam. Rubrica XXXIV.

VXorem non habens, & carnaliter nō nuptam fœminam cognoſcens per vim, vel voluntariè,puniatur ſecundùm formam Statutorum Communis Cutignolæ. Sed, ſi eam in Vxorem legitimam acceperit, & ipſa in ſuum legitimum Maritum nulla pœna puniatur, & hoc, vbi de conſenſu,& voluntate vtriuſque partis attinentium, & parentum proceſſerit.

De pœna

De pœna non obtemperantis mandatis Capitanei, vel Vicarij. Rub. XXXV.

NOn obtemperantis mandatis Capitanei, vel Vicarij Terrę Cutignolę pœna ſit viginti ſolid. boñ. & vltra dictam quantitatem mulctare non valeant, eorum arbitrijs firmis remanentibus, & Statutis loquentibus de pœnis. Poſſint etiam mulctare quoſcunque denegantes pignus Plazario Terrę Cutignolæ in ſolidis quinq; pro qualibet vice, & credatur relationi Plazarij ſine alia probatione; Et qui perſonaliter pro pignore ſe pręſentauerit, non debeat de pignore vetito puniri, nec condemnari.

De Veneficijs. Rubrica XXXVI.

VEneno aliquem necans, quod plus eſt, quàm gladio necare, pœna eadem puniatur, qua homicidium cõmittens, puniri debet; Et ſi venenum malum quis vendiderit, vel alio modo conceſſerit dolosè, ex quo aliquis moreretur, pœna ſimili puniatur: & ſi ignoranter vendiderit, vel conceſſerit, & inde aliquis necatus fuerit, in viginti quinque libris bonoñ puniatur: Et ſi quis venenum prębuerit alicui, cauſa necandi, licet mors ſequuta non fuerit, pœna legali puniatur.

Quòd de ſimilibus ad ſimilia procedatur. Rubrica XXXVII.

DE ſimilibus ad ſimilia procedatur, vbi certa, clara, & determinata cõtra delinquentem pœna per Statuta Terrę Cutignolæ non reperiatur. Si verò ſimilis pœna, vel crimen declaratum non reperiatur, tunc arbitrio Capitanei, vel Vicarij delinquens puniatur.

Quòd non poſſit per inquiſitionem procedi per Capitaneum, vel Vicarium, pro iniurijs illatis inter Patrem, & filium, & alios Agnatione coniunctos. Rubrica XXXVIII.

STatuimus, & ordinamus, vt Capitaneus, vel Vicarius Terræ Cutignolę non poſſit, nec debeat per inquiſitionem procedere pro iniurijs, illatis inter Patrem, & Filium, & Matrem, Auum, Nepotem, Fratres, & conſanguineos, & quoſcunq; alios, quoquomodo cognatione cõiunctos; niſi ille, qui ſic iniuriatus fuerit, iniuriantem accuſauerit; cuius accuſationis, vel denuntiationis vigore dictus Capitaneus, vel Vicarius contra dictum iniuriantem procedere poſſit; niſi per dictum iniuriatum dictæ accuſationi renunciatum fuerit; cui accuſationi, per ipſum iniuriatum factæ, infra decem dies impunè renunciari poſſit; qua renunciatione facta per ipſum iniuriatum ſuper dicto delicto, ſeu iniuria per ipſum Capitaneum, vel Vicarium quoquomodo procedi non poſſit, excepto homicidio, vel parricidio, vel adulterio, vel ſtupro, in quibus per ipſum Capitaneum, vel Vicarium per inquiſitionem, & accuſationem procedi poſſit. Volumus inſuper,

vt quilibet Pater familias poſſit impunè verberare, & corrigere omnes illos, qui ſunt de eius familia, videlicet Filios, Vxorem, Nepotes, famulos, pacoatos, & cocteros in domo ſua exiſtentes, ſibi ſubditos abſque morte, & membri mutilatione, ſeu debilitatione: Et ſi ſunt duo fratres, vel plures, quilibet intelligatur pater familias. Item licitum ſit etiam cuilibet Magiſtro ſcholarum, ac etiam cuilibet Magiſtro cuiuſcunque artis impunè corrigere, & verberare ſcholares, & omnes alios diſcipulos eorum cauſa inſtructionis, & magiſterij inſtruendi, quotieſcunque eis, & cuilibet eorum videbitur conuenire, non excedendo modum, & conſuetudinem debitam, arbitrio boni viri. Item licitum ſit etiam cuilibet homini videnti pueros ſimul rixantes, decapillare, & percutere, & ſeparari eos facere à dicta rixa, ne vlterius procedant, ſine pœna aliqua ſupportanda. Item volumus, quòd ſcholares, inuicem ſe percutientes non poſſint puniri per Capitaneum, vel Vicarium; niſi pro grauibus delictis: ſed correptio, & punitio eorum ſpectet, & pertineat ad magiſtros, & inſtructores ipſorum; Et eidem fiat in omnibus alijs diſcipulis, artes mechanicas addiſcentibus; qui per eorum Magiſtros corripiantur, & caſtigentur.

De non conſtruendo Palearia in Terra Cutignolæ. *Rubrica XXXIX.*

IGnis periculũ pertimeſcentes, ſtatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona Terrigena, vel forenſis audeat, vel præſumat facere cõſtruere, vel tenere in Terra Cutignolæ iuxta domum propriam, vel alterius aliquod Paleare, ſeu cumulum paleæ, fœni, vel aliorum ſtraminum; niſi ſit longe à Domibus per quatuor perticas, ſub pœna contrafacienti pro qualibet vice, centum ſolid. bonoñ. & & nihilominus cogatur ipſum Paleare, ſiue cumulum à dicto loco penitus remouere. Præterea nulla perſona audeat, vel præſumat apportare intra Terram Cutignolæ paleas, ſtipulas, cannas tritici, fœnum, & his ſimilia, ſine expreſſa licentia Capitanei, vel Vicarij, quocum debeat declarare locum, in quo vult ipſas res reponere ſub pœna prædicta.

De Stabulis non tenendis inter conſortes. *Rubrica XXXX.*

STatuimus, & ordinamus, vt nemo Terræ Cutignolæ audeat, vel præſumat tenere, vel facere ſtabulum bouum, equorum, vel aliorum animalium, vel aliquam aliam rem immundam inter ſe, & vicinos apud caminatam cameram, vel canipam à Vino, per quæ ſtabula, ſiue loca immunda damnum, ſeu fœtor Vicino, ſeu Vicinis ipſorum reportetur modo aliquo; ſub pœna, & banno cuilibet contrafacienti, viginti ſolid. bonen. pro qualibet vice, & nihilominus ipſa loca, & ſtabula penitus remoueantur, & ſit præciſum.

FINIS TERTII LIBRI.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

De Laborerijs, & damnis datis. *Rubrica I.*

FLVMINVM impetus, & eorum concurſus, & inundationes pertimeſcentes, ſtatuimus, & ordinamus, vt Commune, & homines Cutignolæ teneantur laborare ad vtrunque fluminum, Alamonis ſcilicet, & Senni ſex diebus tempore cuiuslibet Rectoris dictæ Terræ, & plus, & minus, ſi fuerit viſum ipſi Rectori, pœna cuilibet Capitaneo, vel Vicario, qui contrafecerit viginti quinque librarum bonon. Et teneatur quilibet Capitaneus, vel Vicarius ponere ad Conſilium generale, quando conuocatur Conſilium de Laborerijs vtilibus, faciendis per Commune, præter ſupradicta Laboreria.

De modo faciendi foſſata inter vicinos, & regionis alicuius conſortes. *Rubrica II.*

STatuimus, & ordinamus, vt cum habentes poſſeſſiones in Territorio Cutignolæ, voluerint facere aliquod foſſatum inter ſe, & ſuum conuicinum, teneatur Capitaneus, vel Vicarius compellere, & compelli facere conſortes ad facień. medietatem dicti foſſati in communi eorum terreno, & communibus expenſis, latitudinis ad minus trium pedum: ſed hoc non habeat locum in Hortis.

Quid ſi in caſu fortuito accenderetur Ignis in Domo aliqua, vel Albergo.
Rubrica III.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt illa perſona, in cuius Domo, vel Albergo, ſeu Tabarra, vel alio quocunque caſu fortuito accenderetur ignis de die, vel de nocte, non debeat condemnari realiter, vel perſonaliter; dummodo incontinenti clamet fortiter, ad ignem; Alioquin; ſi non clamabit incontinenti condemnetur in decem libris bonon. Verum tamen, ſi aliquis, vel aliqua malitioſè, vel dolo poſuerit ignem in domo ſua, vel Albergo, ſeu Tabarra, vel in alio quocunque loco in Terra Cutignolæ, vel eius Diſtrictu, incontinenti puniatur realiter, & perſonaliter, arbitrio Capitanei, vel Vicarij.

Quòd omnes habeantur Menſuræ ſecundùm modum Ciuitatis Bononiæ. Rubrica IV.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt Statera, Meginum, & omnis alia Menſura, ad quam emitur, & venditur aliquid, ſeu ponderatur, debeat haberi per Commune Cutignolæ ſecundùm formam, & modum Communis Bonoñ. & ſecundùm modum dictę Ciuitatis debeat adiuſtari, quotieſcunque Capitaneo, vel Vicario videbitur opportunum; & per Commune Cutignolæ habeatur vnum Meginum iuſtum ſecundùm dictum modum, & vna Statera, quę ſemper debeant ſtare in Communi.

De Menſuris, & ponderibus non iuſtis. Rubrica V.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt ſi quis tenuerit in Terra Cutignolę, vel eius Diſtrictu aliquem Marcum, Stateram, Bilancem, Paſſum, aut aliquam aliam menſuram iniuſtam, & doloſam, qua aliquid ponderetur, vel menſuretur, condemnetur in decem ſolid. bonon. pro qualibet menſura inuenta nõ iuſta; & plus, & minus arbitrio Capitanei, vel Vicarij, conſideratis qualitate facti, & conditione perſonę, temporis, & loci.

De mitigatione Pœnarum. Rubrica VI.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt quicunque commiſerit aliquod maleficiũ, ſeu crimen in Terra Cutignolæ, vel eius Diſtrictu, quod non exigat pœnam mortis, ſeu ſanguinis effuſionem, ſeu pœnam aliquam corporalem, & maleficium, ſeu crimen fuerit in iudicio ſponte confeſſus; propter eius confeſſionem pœna mitigetur, & diminuatur pro quarta parte eius, quo condemnatus fuiſſet, ſi negaſſet; & poſtea contra eum maleficium probatum fuiſſet; itaut tali delicto, ſic per confeſſionem detecto, tres partes condemnationis ſuſtineat, & non vltra, quarta parte remiſſa, propter eius confeſſionem. Si verò ipſum tale maleficium, ſeu crimen fuerit confeſſus ſponte (vt dictum eſt) & pacem pro ipſo cum Aduerſario habuerit, quandocunque ante promulgationem ſententię, & condemnationem, de qua pace conſtet Iudici per publicum inſtrumentum, eius pœna debeat ad medietatem reduci; Si verò delictum, ſeu crimen tale fuerit, ex quo rixa, ſeu diſcordia inter aliquos de Cutignola, vel eius Diſtrictu oriretur, vel dubitaretur oriri; tunc in iudicio ſponte confeſſus, medietatem pœnę pro tali crimine determinare propter ſuam confeſſionem, ſubſtineat. At prædicta in damnis datis, & in blaſphemantibus Deum, aut Beatam Virginem Mariam Matrem eius, aut aliquem Sanctum, non vendicent ſibi locum; nec etiam in his, qui ripam fluminum inciderent, vel deuaſtarent.

De

De Vindemijs Rubrica VII.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes poſſint vindemiare, vel vindemiari facere ſingulis annis Kalendis Menſis Septẽbris impunè; ni per Conſilium generale fuerit aliter diſpoſitum, ſeu firmatum, temporis qualitate penſata, & ratione feſtorum habita.

De Conſilio generali. Rubsica VIII.

STatuimus, & ordinamus, vt in principio cuiuslibet Anni prima Dominica ante introitum, ac ingreſſum Anni, per Capitaneũ, vel Vicariũ Terrę Cutignolę ſono Campanę, vt moris eſt, conuocetur Conſiliũ generale Cõis, & hominũ Cutignolę; In quo quidem Conſilio poſſint venire oẽs homines de Cutignola, qui ſint maiores viginti annis, & in ipſo Cõſilio eligi debeant duodecim, qui ſemper habeant prouidere circa oĩa, quæ occurrerent facienda pro Cõmuni Cutignolę, & habeant arbitriũ expendendi in euidenti vtilitate Cõmunis, & pro neceſſitate ipſius Cõmunitatis vſq; ad quantitatem decem librarum boñ. & quicquid per ipſos deliberatum fuerit cum Capitaneo, vel Vicario ſuper factis Communis, executioni mandetur, dummodo non ſit maioris importantię, vel valoris decem librarum; Si verò fuerit maioris importantiæ decem librarum, vel foret res quam determinare nollent ſino Conſilio; Tunc Capitaneus, & ſemper, ad eorum requiſitionem debeat couuocare Conſilium dictæ Terræ, & exponere in Conſilio cauſam conuocationis, & ponere partita cum buſſula alba ad nigram cum fabis, & quicquid firmatum fuerit per maiorem partem hominum Terræ Cutignolæ, executioni mandetur, & plenam obtineat firmitatem. Et ſcribantur prædicti duodecim homines in præſenti volumine Statut; Et ſi deficeret aliquis ipſorũ ex aliqua cauſa, alius eligendus, vt ſupra, loco talis deficientis, reſcribatur per Not. ad Acta: Item ipſa Dominica prima ante introitum anni, ad breuia (vt moris eſt) eligantur duo Procuratores Cõmunis, & vnus Maſſarius Communis, quorum officium duret ſex menſes, & non vltra, & in fine ſex menſium in vltima Dominica ipſorum ſex menſium, pro alijs ſex menſibus ſequentibus fieri debeat in ipſo Conſilio hominum Cutignolæ ſimilis electio de duobus procuratoribus, & vno Maſſario pro ſex Menſibus (vt ſupra) & quicunque fuerit Procurator, vel Maſſarius ſex menſibus, non poſſit eſſe alijs ſequentibus ab illud idem officium aliquo modo; ſed debeat ſtare ſex menſibus ſine illo officio. Et quilibet, qui habuerit breue ad eligendum aliquem ex prædictis, poſſit (iuxta contenta in Rubrica quarta lib. primi) eligere ſe ipſum, & quemlibet alium, quem voluerit: dummodo non fuerit ad illud officium per ſex menſes præteritos; Et dummodo eligat ſufficientem ad voluntatem Capitanei, vel Vicarij. Et quod dictum eſt de electione Maſſarij, & Procuratorum, idem fiat de duobus Saltuarijs, ſiue Iuratoribus; qui ſimiliter debeant eligi, & debeant iurare in manibus Vicarij, vel Capitanei de bene, & diligenter

eorum officium exequendo, vel eligere alium bonum, & ſufficientem, & eorum denuncijs, & accuſationibus detur plena fides ſine alia probatione. Et quicunq; fuerit Saltuarius ſex menſibus, nõ poſſit eſſe ad illud officium alijs ſex menſibus, niſi foret per Capitaneum, vel Vicarium, & prędictos duodecim homines ſpecialiter deputatus, & confirmatus; Et debeat fieri ipſum Conſilium, & conuocari quindecim diebus, ante introitum anni, vt ſuperiùs dictum eſt; Item eligatur ſimili modo, vt dictum eſt, ad breuia vnus Notarius Communis, qui ſit Notarius Maſſarij, & ad acta ciuilia, & duret eius officium ſex menſibus, & ſimiliter eligatur vnus Notarius ad æſtima.

De damnis Datis in Poſſeſſionibus, & fructibus. *Rubrica IX.*

STatuimus, & ordinamus, vt quicunque dederit damnum in hortis perſonaliter, condemnetur in decem bonon. ſolid. Si verò dederit damnũ in Vinea, vel vuis exiſtentibus in ea, condemnetur in quinque ſolidos; Si verò, vuis non exiſtentibus, damnum dederit, condemnetur in tribus ſolid. bonon. Et ſi aliquis dederit damnum perſonaliter in aliquibus bladis, vel ſegetibus cõdemnetur in quinque ſol. boñ. Et ſi aliquis dederit damnum perſonaliter in alienis pratis, campis, Lino, Rapis, Melonibus, Caulibus, Cœpis, Fœniculis, vel alijs exiſtentibus, vel non in hortis, condemnetur ſimiliter in quinque ſol. boñ. Et ſi damnum dederit perſonaliter in Nucibus, Ficis, Pomis, Pyris, & alijs arboribus fructiferis, condemnetur in quinque ſolid. bonon. ipſis non exiſtentibus in hortis; Si verò aliquis acceperit, ſeu fregerit, vel ſpoliauerit folijs alienas ſepes, Carrazos, Salices, Vlmos, Robora, vel alias arbores ſimiles ſingularum perſonarum, condemnetur in quinque ſolid. bon. Præterea nullus audeat, vel præſumat ſchioccare, vel sfoliare ſuum Triticum, vel ſuas Salices ante Kal. Menſis Auguſti, & qui contrafecerit, cõdemnetur in tribus ſol. boñ. licitum tamen ſit cuicunq; cum licẽtia, obtẽta à Vicario, apportare impunè à ſuis Poſſeſſionibus. Inſuper, ſi animalia alicuius damnũ dederint in alienis hortis, ſeu Vineis, vuis exiſtentibus in eis, condemnetur Dñs animalium pro qualibet beſtia bouina, Equo, vel Equa, Aſino, vel Aſina, Mulo, vel Mula, in quinq; ſolid. boñ. Pro quolibet Porco, vel Porca, vel Capra in quinq; ſol. bon. vſq; ad Kal. Octobris; à Kal. verò Octobris vltra, & nõ exiſtentibus vuis in duodecim den. Et pro quolibet Caſtrone, Montone, ſeu Pecude in duobus ſolid. boñ. Et non exiſtentibus vuis, in duodecim den. Et ſi animalia alicuius dederint damnũ in alienis ſegetibus, ſeu bladis, vel arboribus, Pratis, Campis, Lino, Rapis, Melonibus, Caulibus, Cœpis, Fœniculis, vel alijs non exiſtentibus in hortis condemnetur pro qualibet beſtia bouina, Equo, vel Equa, Aſino, vel Aſina, Mulo, vel Mula in duobus ſol. boñ. Pro quolibet Hirco, Capra in duodecim denarios. Pro quolibet Porco, ſeu Porca, condemnetur in duobus ſolid. bonoñ. Pro quolibet Montone, Caſtrone, ſeu Pecude in ſex denarios. Et prædicta omnia intelligantur in damnis datis de die: Si verò dicta damna, vel aliquod prędictorum daretur de nocte, omnes prædictæ pœnę duplicentur. Quę

omnia

omnia, & ſingula intelligantur, quando denunciationes factæ fuerint per Iuratores, ſiue Saltuarios Communis: Si verò Dominus, qui fuerit damnum paſſus, ſuo ſacramento accuſauerit aliquem, ſibi damnum dantem perſonaliter, vel cuius animalia damnum dederint, eius ſacramento vſque ad viginti ſolid. credatur de damno ſuo recepto ſine alia probatione, & accuſatus cōdemnetur in duplo eius, in quo cōdemnatus fuiſſet, ſi denunciatus eſſet per Saltuarios, ſeu Iuratores Communis: & idem intelligatur de laboratoribus dictorum Dominorũ, ſcilicet quòd credatur ſacramento dicti laboratoris iurantis, ſe aliquem inueniſſe dare damnũ perſonaliter, vel cum eorum beſtijs. In quibus omnibus caſibus Accuſatus, vel Denunciatus cōdemnetur in tanta quantitate Domino damnum paſſo, in quantam condemnatus fuerit Communi prædicto vſque ad viginti ſolid. bonon. Si voluerit iurare, & determinare ſuum damnum per eius ſacramentum; Et ſi voluerit determinare per eius ſacramentum ſuum damnum credatur eidem vſque ad viginti ſolidos bonon. Et ſi quod damnum daretur, præſenti Statuto minime comprehenſum, tunc de ſimilibus ad ſimilia procedatur. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona audeat, vel præſumat aportare vuas maturas, vel acerbas, ſeu nuces, vel nuclea, à ſuis Vineis, nucibus, vel alienis abſque licentia Officialis, ad hoc deputati. Qui verò contrafecerit, pro quolibet grappo, ſeu racemo vuarum duodecim denarios. Pro qualibet nuce ſex denarios. Pro quolibet nucleo denarios tres. Item ſtatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona audeat, vel præſumat vindemiare, ſeu vindemiari facere, Vineam ſuam ante Kalendas Septembris abſque licentia Conſilij generalis, pœna, & banno cuilibet centum ſolid. bonon. ad quas quidem pœnas omnes, tam mares, quàm fœminæ maiores infante efficaciter teneantur. Inſuper omnes, & ſinguli denunciati de damnis datis per Dominum Poſſeſſionis, vel Saltuarios, ſeu Iuratores, condemnētur à quinque ſolid. ſupra, emendent damnum Domino poſſeſſionis ſolum quinque ſolid. ſaluo, quòd ſi Dominus Poſſeſſionis, in qua damnum datum fuerit, ſuo ſacramento dixerit, damnum eſſe maius quinque ſolid. quod credatur eidem vſque ad viginti ſolidos, vel ſi ipſe Dominus, qui fuerit damnum paſſus, voluerit, vel potuerit probare, damnum fuiſſe, vel eſſe maius quinque ſolid. tunc teneatur Denunciatus, qui damnum dederit, emendare damnũ Domino, ſecundum quod fuerit probatum, vel ſecundùm quod æſtimauerint Procuratores Communis, qui pro tempore fuerint, qui damnum videre, & æſtimare teneantur, expenſis, damnum dantis, & hoc quando damnum paſſus diceret, damnum eſſe maius viginti ſolid. bononenorum.

De pœna Incidentis Vineam, vel Arborem. *Rubrica X.*

INciſor qui fuerit, depopulando Vineam à decem pedibus, ſiue Vitibus infra condemnetur in decem bonon. ſolid. à decem verò Vitibus, ſiue pedibus ſupra, condemnetur in viginti ſolidos bonon. pro qualibet pede, ſeu Vite, quam inciderit, cuius pœnæ medietas ſit dicti Comites Sfortiæ, alia medietas ſit

damnum

damnum paſſi. Qui verò fuerit inciſor alicuius arboris fructiferę in Viridarijs, in decem libris bonon. condemnetur. Si alibi, in centū ſolid. bonon. cuius pœnæ medietas ſit, vt ſupra dictum eſt. Si verò fructiferæ, & in Viridarijs in centū ſolid. condemnetur. Si alibi in ſolid. quadraginta bonon. condemnetur. Quæ pœna ſi commiſſa fuerit, applicetur vt ſupra; de quo damno credatur ſacramento damnum paſſi cum vno teſte. Si autem nullū teſtem produxerit, ſed ſolùm per eius ſacramentum hoc probare voluerit, tunc Inciſor arboris fructiferæ in Viridario, condemnetur in quadraginta ſolid. bonon. Extra verò Viridarium, in viginti ſolid. bonon. Alterius verò arboris non fructiferæ, in viginti ſolid. bonon. etiam condemnetur, cuius pœnæ medietas, & alia medietas ſit, vt ſupra.

Additio facta primo Statuto de damnis datis. *Rubrica XI.*

STatuimus, & ordinamus, addendo Statuto, poſito ſub Rubrica de damnis datis, quòd ſi quis iuerit cum Bobus, & Curru per Campum alicuius blauatum quocunque blado, vel pratiuum, ſoluat, & ſoluere debeat decem ſolid. bonon. pro qualibet vice; Et ſimiliter ſi iuerit cum bobus iunctis, & pertigario, ſeu aratro; & liceat vnicuique ire pedibus proprijs per campum blauatum cuiuſcunque perſonæ vſque ad Kalendas Martij; niſi quis iniurioſè hoc fecerit, vel ſibi ante fuerit prohibitum per Dominum Campi, de quo credatur Sacramento damnum paſſi, ſiue Domini Campi. Si verò cum bobus, & curru quis iuerit per Vineam alicuius, non exiſtentibus vuis, ſoluat pro qualibet vice decem ſolid bonon. Vuis verò exiſtentibus, viginti ſolid. bonon. Et in omnibus caſibus ſupradictis damnum emendet ſecundùm formam dicti Statuti; Addendo etiam, ſi quis repertus fuerit apportare per aliquam viam, vel ad portam aliquas herbas à damno contra formam Statuti, vel alicuius proclamationis, ſoluat tres ſolid. pro qualibet vice. Et ſi apportans probare voluerit, tales herbas apportare à ſuis poſſeſſionibus per duos teſtes, & probauerit, nihil ſoluat; Et ſi repertus fuerit ſeccare, vel facere tales herbas in alienis campis ſoluat quinque ſolid. bonon.

Vt damna data ceſſent. *Rubrica XII.*

STatuimus, & ordinamus, vt ille ſit Notarius ſuper damnis datis, qui per Capitaneum, vel Vicarium, & per Conſilium, & homines Terræ Cutignolæ fuerit ſpecialiter deputatus, & diligenter ſcribere debeat omnes denunciationes, & inuentiones, factas per Iuratores Communis Cutignolæ, ad id deputatos; ac etiam quaſcunque alias accuſationes, vel denunciationes factas per quoſcunque per eorum Sacramentum, & etiam illas accuſationes, quas accuſantes probare vellent per teſtes, & teneantur die ſequenti facere citari per Plazarios Communis, qui veniant ad ſe defendendum, & excuſandum de damno dato coram Domino Officiali infra tres dies. Venientes autem ad ſe defendendum, & excuſandum, ſi iuſtam defenſionem habuerint audiantur, & cancellentur ſine

aliquo

aliquo ſalario; aliàs elapſo termino prædicto nō venientes pro condemnatis habeantur, & ab eis exigatur pœna ordinata per Statutum dictæ Terræ, & compellantur ad ſoluendum abſque aliqua alia ſententia, vel condemnatione: ſcribantur tamen per dictum Notarium, vel officialem deputatum nomina omnium Inuentorum, denunciatorum, & accuſatorum de damno dato in quaterno cum qualitate damni, & quantitate pœnæ ſoluendæ, & menſe, & die qua inuentus, & citatus fuit, & locus cum vno confine ad minus: Habeat autem Commune Cutignolæ, de dictis Inuentionibus, ſiue de condemnationibus damnorum datorum medietatem: Notarius verò quartam partem, & iuratores, ſeu Saltuarij aliam quartam. Poſſit autem dictus Officialis, & Iuratores, ac debeant omnes forenſes, & eorum animalia, quos, & quæ inuenerint dare damnum, capere, & conducere ad Terram Cutignolæ: Et ſimili modo (vt dictũ eſt) ſi iuſtam excuſationem non habuerint, compellantur ad ſoluendũ pœnas, eis per Statuta Terrę Cutignolę ordinatas. De condemnationibus autem, factis per Sacramentum Domini, qui fuerit damnum paſſus, quartam partem habeat Officialis prędictus, reliquas verò partes tres teneatur exigere pro Cōmuni. Si verò dictus Officialis in dicto officio negligens fuerit, vel fraudem, aut dolum commiſerit in dicto officio, puniatur arbitrio Capitanei, vel Vicarij, conditione perſonæ, & facti qualitate penſata.

De Foro libero Cutignolæ. *Rubrica XIII.*

PRo euidenti commodo, & vtilitate Communis, & hominum Terræ noſtræ Cutignolæ, ſtatuimus, & ordinamus, vt qualibet hebdomada die Iouis ipſius hebdomadę in perpetuum quicunque Mercatores, homines, & perſonæ poſſint venire ad forum liberum Cutignolæ, & ibi conducere quaſcunque eorum, & cuiuslibet eorum, & aliarum perſonarũ res, & mercationes quaſcunq; & cuiuſcunque qualitatis, vel conditionis exiſtant, eaſque vendere, permutare, & alienare liberè quibuſcunque perſonis, eas emere volentibus, ſine ſolutione alicuius Datij, vel Gabellæ. Liceat etiam quibuſcunque perſonis emere liberè quaſcunque res; & etiam beſtias magnas, & paruas cuiuſcunque qualitatis exiſtant, & extrahere, & exportare ad quæcunque loca voluerint res prædictas, emptas in dicto foro die fori, ſine aliqua licentia, vel ſolutione Datij, vel Gabellæ liberè, & expeditè. Pręterea quicunque conduxerit aliquas mercationes, vel res aliquas, cuiuſcunque cōditionis exiſtant, & beſtias magnas, vel paruas, eaſq; non vendiderit, poſſit ad prima loca reconducere res ipſas, à quibus conduxit, ſine aliqua licentia, & ſine ſolutione Datij, vel Gabellæ: Ad alia verò loca tranſire non liceat, nec poſſit ſine ſolutione Datij pro re extracta, ſub pœna in dicto Statuto contenta, & amiſſionis ipſarum rerum, plauſtrorum, & beſtiarum. Poſſit inſuper, & debeat Capitaneus, vel Vicarius Terræ Cutignolę quibuſcunque perſonis, etiam forenſibus, & vndecunque fuerint, de debitis, & creditis, & de obligationibus quibuſcunque, per eos factis in foro die fori, facere, & reddere rationem,

nem, ſequeſtrationeſque facere, & committere, detinere, arreſtare, & ad ſatiſdandum cogere, & omnia alia facere, quæ de iure fieri debent, & videbitur expedire, diebus feriatis, & non feriatis.

De Gabella Vini. Rubrica XIV.

STatuimus, & ordinamus, vt quicunque vendiderit, vel vendi fecerit Vinũ forenſe ad minutum in canipa propria, domi, vel alibi in dicta Terra Cutignolæ, vel in eius Diſtrictu, antequam ponat ad publicè vendendum denunciare teneatur officialibus, vel cauſam habentibus à dicto Communi, & ſoluat, & ſoluere debeat pro quolibet bonon groſſo pretij venditionis ipſius Vini, quatuor denarios paruos; ſcilicet tertiam partem pretij, quo venditur dictũ vinum. Et quicunque poſuerit dicta vina ad manus, cauſa vendendi ad minutum, & illud totum vendere nõ poſſit, & illud, quod remanſerit, voluerit transfundere, ſeu ipſam Vegetem replere, teneantur dicti Officiales, vel habentes cauſam, vt ſupra, illis, qui vinum prædictum transfundere voluerint, ſeu ipſam Vegetem replere, dare reſtaurum vini non venditi, & facere cum eo rationem de vino vendito; & ſi dictum vinum fieret acetum, vendendo ipſum, vel aliquod aliud acetum ad minutum, nihil ſoluant; Et ſi quis contrafecerit in prædictis, vel aliquo prædictorum, condemnetur in ſolid quadraginta bonon. pro qualibet vice, & nihilominus Datium teneatur ſoluere ante dictum.

De Arboribus plantandis, & retinendis inter Conſortes. Rubrica XV.

STatuimus, & ordinamus, vt nulla perſona habẽs poſſeſſiones in Diſtrictu Cutignolæ, audeat, vel prẹſumat plantare, ſeu plantas tenere, plantatas aliquas arbores, exceptis arboribus fructiferis ſupra eorum foſſata, vel inter ſe, & eorum conſortes; niſi vna ſit remota ab altera per tres perticas, pœna, & banno quinque ſolid. pro qualibet arbore; Et idem intelligatur, ſi via fuerit in medio, quæ non fuerit latitudinis vnius perticæ, vndique foſſatis computatis, & arborem incidere compellatur; niſi fuerit fructifera.

De Beccarijs, & pœnis ipſis imponendis. Rubrica XVI.

STatuimus, & ordinamus, vt omnes Beccarij de Terra Cutignolẹ teneantur, & debeant oſtendere Procuratoribus Communis, aut Officialibus, ad hoc deputatis, omnia, & ſingula animalia, quæ voluerint interficere, cauſa vendendi, exceptis agnis, & hẹdis; Et ſi dictis Procuratoribus, aut Officialibus videbuntur dicta animalia eſſe ſana, dicti Beccarij ipſa interficiant; Si verò non eſſent ſana ipſa non audeant interficere: Qui Procuratores, vel Officiales poſſint concedere licentiam dictis Beccarijs interficiendi, & vendendi dicta animalia ſana. Inſuper teneantur dicti Beccarij facere carnes ad ſufficientiam, videlicet

Vitulinas

Vitulinas, Bubulas, ſuillas, & Veruecinas provt requirit qualitas temporum, & provt mandatur eis per dictos Officiales, & omnes carnes, quas fecerint, teneantur vendere ad menſuram Bononienſem, ſecundùm modum, & metam, eis imponendam per dictos Officiales. Item volumus, vt dicti Beccarij non audeant, vel præſumant reueſtire, ſeu inflare, vel reficere aliqua animalia magna, vel parua, nec ipſis animalibus tenere pelles, capita, ſeu interiora, poſt quam mortua fuerint; ſed incontinenti debeant dicta animalia decotiare, capita abſcindere, & interiora trahere, exceptis porcis, quibus poſſint impunè capita relaxare. Præterea teneantur dicti Beccarij obedire omnibus præceptis, & mandatis dictorum Procuratorũ, aut Officialium, pertinentibus ad Artem, ſeu exercitium Beccariæ, vel eius Officium, & cuilibet iuſtum pondus dare de carnibus, quæ venduntur ad pondus: Si verò dicti Beccarij in aliquo prędictorum capitum contrafecerint, puniatur quilibet ipſorum pro qualibet vice in quadraginta ſolid. bonon. & plus, & minus Domini Capitanei, vel Vicarij arbitrio, qualitate facti inſpecta, & conditione perſonæ.

Statutum factum per Homines Terrę Cutignolæ circa libertatem ipſorum, vigore litterarum Illuſtriſſimi Domini Ducis Mediolani. II. M CCCC. LVIII. die prima Ianuarij infraſcripti tenoris, & continentiæ, Videl. Rub. XVII.

STatuimus, & ordinamus, & reformamus, vt quilibet de Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu, qui conferat, & contribuat ad grauamina, & factiones occurrentia, & occurrentes in dicta Terra Cutignolæ, & eius Pertinentijs, pro rata, & qualitate ſua, ſit, ac ſemper eſſe intelligatur in futurum liber ita, & taliter, vt ipſe, quotieſcunque ei placuerit, poſſit emere, & vendere Frumentum, Rubias, Oleum, Beſtias magnas, & paruas, & generaliter omnes, & ſingulas mercationes, cuiuſuis qualitatis exiſtant, & ipſa res, ſeu mercationes poſſit, & valeat conducere, ſeu conduci facere extra Terram Cutignolæ, & eius Diſtrictũ, etiam tranſeundo per dictum Territorium Cutignolæ, & eius Iuriſdictionis ſine ſolutione alicuius Datij, vel Gabellæ; Et ab hac Reformatione dicta Statuta excipimus, & exceptuamus mercationem Salis, Vini forenſis, ad minutum vendendi in dicta Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu; ac etiam Macellum. Quibus tribus mercationibus prænominatis, ſpecificatis, nemo de dicta Terra Cutignolæ, & habitator eius Diſtrictus poſſit mercationem facere, ſeu vendere ſine expreſſa licentia, & conuentione Datiarij Terrę Cutignolæ, qui nunc ſit, vel pro tempore fuerit; Et ſi ille contrafecerit in prædictis tribus mercationibus ſpecificatis, vel aliqua earum, & repertus fuerit Datiarios dictæ Terræ Datium Salis, aut Vini vendendi, vt ſupra, vel Macelli, decipere, vel fraudare, condemnetur, ſeu condemnari poſſit hoc modo, videlicet, quod decipiens Datium Salis, & qui repertus fuerit per Datiarios ipſum Datium Salis fraudare aliquo modo, vel via, ita, vt fraus interueniat, eius pœna ſit librarum decem bonon. pro qualibet corbe Salis, & ab vna corbe infra, eius pœna ſit librarũ quinque, & amittat beſtias,

& Plauſtrum, quibus conduceret dictum Sal: Qui verò repertus fuerit vendere vinum forenſe, vel carnes ad minutum ſine licentia prędictorum Datiariorum, eius pœna ſit librarum duarum boñ pro qualibet vice; cuius pœnę tertia pars ſit Camerę Dñi Noſtri, alia tertia pars ſit Inuentoris, ſeu Accuſatoris, & alia tertia pars perueniat ad dictos Datiarios. Poſſit tamen quilibet vendere Agnos, & hędos viuos, & omnes, & ſingulas beſtias magnas, & paruas viuas, & etiam omnia alia, & ſingula animalia volatilia viua, vel mortua quibuſcunq; perſonis, emere volentibus, impunè: Et licitum ſit cuicunque volenti facere Macellum, & carnes ad minutum, ſeu ad pondus vendere in dicta Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu; dummodo ille talis fuerit primo in concordia cum dictis Datiarijs, vel habentibus cauſam ab eis, & ſoluat, ac ſoluere teneatur ſolid. duos bonon. pro qualibet libra pretij, & minus, prout fuerit in conuentione cum dictis Datiarijs, & pro quolibet hædo, ſiue Agno ſoluere teneatur denarios ſex; & ille, qui conduxerit à Communi Cutignolæ Datium Macelli, teneatur, & debeat inter cætera ſatiſdare de manutenendo Macello.

Sit tamen licitũ octo hominibus, vel ab inde infra, emere, vnam beſtiam magnam, vel paruã toties, quoties eis viſum fuerit, & placuerit, & facere eam occidi, & decoriare; Et poſtea dicti homines ipſam beſtiã inter eos diuidere pro vſu ſuo. Item ſit licitum cuicunque ementi, & habenti Datium vini forenſis vendendi ad minutum, vt ſupra, poſſe bullare, & bullari facere omnes, & ſingulos Vaſſellos illorum, qui vinum forenſe vẽdere voluerint ad minutũ, & nemo audeat debullare aliqua Vaſa, ſeu aliquos Vaſſellos bullatos, ſeu bullata per Datiarium deputatum ad dictum datium vini vendendi ſub pœna ſol. quadraginta bon. pro qualibet vice, qua debullauerit, vel debullari fecerit aliquam Vegetem, ſeu aliquem Vaſſellum bullatum, vt ſupra; & ſic pręſumi debeat, & poſſit eſſe in dolo illum, qui Vinum vendiderit, & debullauerit, vt ſupra; & in dictam pœnam intelligatur incurriſſe: Addendo etiã huic pręſenti Statuto, vt quilibet volens vendere vinum Maluaticum in Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu ad minutum, debeat, & teneatur ſoluere ſol decem bon. pro qualibet corbe, & non vltra. Inſuper addimus huic pręſenti Statuto, vt nemo Terrigena, vel habitator Cutignolę, vel eius Diſtrictus poſſit, vel valeat pro aliquo forenſe, ſeu ad inſtantiam alicuius forenſis mercationem frumenti, vel alterius mercationis facere; niſi animo ſoluendi Datium pro illo tali forenſe, per quem emerit; Et poſſint Datiarij, & quilibet eorum ad eius declarationem facere illos, ſic mercantes, in quibus haberet ſuſpicionem, aſtringi, & compelli ad Sacramentum; & quicunque repertus fuerit emere tali modo fraudoloſè pro aliquo forenſi, & ſoluere Datium non curauerit, & dictam mercationem extraxerit extra Terram; vel tranſitum fecerit per Territorium Cutignolæ cum dicta mercatione, antequam ſit in concordia cum dictis Datiarijs, ſoluat, & ſoluere teneatur eodem modo; ac amittere poſſit, & debeat mercationes beſtias, & plauſtra; ac ſi, pro vt eſſet forenſis, & pro vt in Statuto forenſium continetur.

Statutum factum per Homines Terrę Cutignolæ circa forenſes pro Datio. Rubrica XVIII.

STatuimus, & reformamus, vt quilibet forenſis non poſſit, vel valeat extrahere, ſeu extrahi facere de Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu, nec etiam conducere tranſeundo, vel eundo de vna Terra ad aliam per dictum Territorium Cutignolæ, vel eius Diſtrictũ Frumentum, Vinum, Oleum, Beſtias magnas, ſeu paruas, & omnes, & ſingulas mercationes, & res ſine expreſſa licentia, vel bullecta Datiariorum Terræ Cutignolæ; Pro quibus mercationibus, & rebus adducẽdis, & extrahendis, vt ſupra, ſoluere debeat hoc modo, videlicet pro qualibet corbe frumenti, ſol. vnum boñ. pro qualibet còrbe alterius generis bladi ſex denarios, pro qualibet corbe vini colati, ſol. vnum; Pro qualibet caſtellata vuarũ, ſol. octo boñ. Pro qualibet ſarcina, vel ſalma piſcium, ſol. tres boñ. & quinque ſol. Tempore Quadrageſimę; pro quolibet curru lignorum, cauſa vendendi, ſol. vnum: De alijs verò mercationibus, hic non ſpecificatis, ſoluat ſol. vnum bonoñ. pro qualibet libra æſtimationis, & minus, pro vt fuerit in concordia cum dictis Datiarijs. Si verò ille talis forenſis extraxerit, ſeu extrahi fecerit de dicta Terra Cutignolę aliquam dictarum mercationum; & antequam cum dictis mercationibus, vel aliqua earum perueniat ad Ripam fluminis Senni ante Portam Cutignolæ; prolongaret à Porta dictæ Terrę per perticas ſex, & non fuerit in concordia cum dictis Datiarijs, ſeu Bullectam ab eis non habuerit; vel etiam ſi tranſitum fecerit per dictum Territorium Cutignolæ, & eius Diſtrictum, recedendo de vna Terra, ſeu Iuriſdictione, & eundo ad aliam cum aliqua dictarum Mercationum, & ad dictam Terram Cutignolæ pro bullecta, ſeu licentia non venerit, ſeu viam directam veniendi ad dictam Terram pro bullecta, cauſa fraudandi Datium, prætermiſerit, ac loca debita præterierit; itaut veriſimiliter cõprehendi, & clarè demonſtrari poſſit, ac iudicari, quòd Datium, vel Gabellam pro dicta Mercatione conducenda, fraudare, & decipere voluerit; tunc dictus talis, ſic in fraudem repertus, ſoluat, & ſoluere teneatur dictis Datiarijs ſol. quinq; bonon. pro quolibet ſolid. quem ſoluere debuiſſet, ſi fuiſſet in concordia cũ dictis Datiarijs, & amittat mercationes, beſtias, & Plauſtra, cum quibus ipſas conduxerit; Et ab hoc Statuto excipimus omnes, & ſingulas conſuetudines, quibus quilibet forenſis tempore præterito vti ſolitus eſt de rebus, & mercationibus, quas per continuam, & vſitatam conſuetudinem emit, & extraxit, ſeu emere, & extrahere conſueuit de dicta Terra Cutignolæ, & eius Diſtrictu.

Qualiter Terræ cancellentur de Æſtimo alicuius. Rubrica XIX.

STatuimus, & ordinamus, vt nullus Notarius audeat, vel præſumat cancellare de æſtimo alicuius Terrigenæ, vel forenſis aliquam Petiam Terrę; niſi eam ponat, & ſcribat ad æſtimum talis perſonæ, quæ poſſit aggrauari per Officiales ad ſoluendum collectas, & grauamina ad dictam Petiam, Terrę ven-

ditæ, pertinentia, pœna, & banno librarum viginti quinque bonon. pro qualibet vice; Et ſi quis fecerit cancellare à ſuo æſtimo aliquam petiam Terrę contra ordinem, ſupra in præſenti Statuto ſcriptum, teneatur, & debeat dictam petiam terræ de nouo ponere ad ſuum æſtimum, & ſoluere collectam, & grauamina, ad dictam petiam terræ, ſpectan. ſub pœna librarum quinquaginta bon. pro qualibet vice, & infra quinque dies; poſtquam notum fuerit Officialibus Communis, talis, qui vendiderit, teneatur, & debeat reſcribi facere ad ſuum Æſtimum, vt ſupra continetur, & ſtatim teneatur ad ſoluendum grauamina, ad dictam petiam ſpectantia.

De Officio Maſſarij, & Procuratorum in fine eorum adminiſtrationis. Rub. XX.

STatuimus, & ordinamus, vt quilibet Maſſarius Communis, vnà cum Procuratoribus ſuis, teneatur, & debeat infra terminum decem dierum, finito eorum officio, aſſignare illis de Conſilio, & Officialibus Communis ſucceſſoribus, rationem Adminiſtrationis bonorum Communis, quæ ad eorum manus peruenerint, ſub pœna librarum viginti quinque bonon. pro quolibet eorum Officialium.

De ſalario Notarij Communis. Rubrica XXI.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, vt Notarij electi ad officium Notarij Communis, habeant, & habere debeant pro eorum ſalario in menſe ſolid. viginti bonon. & non vltra ſoluendos eis in eorum collect. compenſañ. & dañ. vt alijs de Cutignola ſecundùm eorum creditum, vt moris eſt, & conſuetudo.

De Arboribus plantandis. Rubrica XXII.

PRo vtilitate totius Communis Homines Conſilij vnà in Domo Communis, vbi Conſilium congregatur, deliberauerunt, ſtatuerunt, atque ordinauerunt, vt nulla perſona audeat, nec præſumat inſerere, vel plantare aliquam arborem in ſuo Terreno; niſi eam inſerat pro ſpatio trium pedum in terreteno ſuo, ſub pœna.

M. CCCC. LVII. Die XXVIII. Menſ. Maij Indictione quinta.
Quòd Pater teneatur pro filio. Rubrica XXIII.

CVm Homines de Conſilio Terræ Cutignolæ eſſent congregati, & coadunati in Domo Communis Cutignolæ, in qua fiunt Conſilia, pro quibuſdam Negotijs peragendis in vtilitatem dicti Cōmunis, & maximè cauſa condendi, & ordinandi quoddam Statutum, & Decretum cōtra filios familias, delinquentes, & inobedientes, vt materiam, & cauſam habeant abſtinendi ſe à vitijs, & delictis; Et quia erat diuiſio, & diſcordia inter dictos Homines de Con-

ſilio

ſilio, poſuerunt ad fabas nigras, & albas, quę fuerunt viginti octo, de quibus viginti octo fabis, fuerunt viginti quinque nigrę, & tres albæ: quæ quidem viginti quinque nigræ fabæ fecerunt, conſtituerunt, & ordinauerunt hoc ſtatutum, & Decretum huius continentiæ, & efficaciæ, videlicet

Quòd ſi quis filius familias de cętero commiſerit, ſeu perpetrauerit aliquod maleficium, crimen, ſeu delictum in Terra Cutignolæ, & in eius Territorio, & Iuriſdictione, ſiue cum conſenſu Patris, ſiue non; eius Pater teneatur, & obligatus ſit ſoluere omnem condemnationem, faciendam contra dictum filium familias, vſque ad quantitatem librarum quinquaginta bonoñ. tantum; vel præſentare dictum eius filium familias in carceribus Communis Cutignolæ; aliàs ſit obligatus ſoluere, vt ſupra; Mandantes mihi Ioanni Notario infraſcripto, vt dictum Decretum deberem in volumine Statutorum dictorum Terrę Cutignolæ regiſtrare.

Ego Ioannes de Marotijs Notarius dictorum Hominum de Conſilio, de mandato ipſorum ſcripſi, & regiſtraui.

Hic inferiùs continentur quædam Reformationes, & additiones Statutorum reformatorum, & approbatorum per Illuſtriſſimum Principem Dominum Noſtrum, Dominum Ducem Mediolani, &c. Prout infra, in literis regiſtratis præfatæ eius Dominationis, & Communi Cutignolæ directiuis, clarè apparet.

De modo eligendi Conſiliarios Terræ Cutignolæ. Rubrica XXIV.

QVoniam ordo in eligendis Conſiliarijs, & Præſidentibus negotijs Terrę noſtræ Cutignolæ, hactenus exorbitaſſe videtur, maximè cū in ea ijdem fuerint præſidentes per Triennium, nec per id tempus vnquam fuerint innouati; nè propter huiuſmodi continuationem maieſtas Regiminis negligi, & in contemptū duci quoquomodo poſſit, ſed per omnia laudabiliter, ſalubriterq; gubernetur, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, vt Capitaneus ibidem Noſter, vnà cum quatuor de melioribus, & prudentioribus Viris de dicta noſtra Terra per ipſum Capitaneum, vnà cum Hominibus de Conſilio, ad eorum beneplacitum eligendis, debeat in fine menſis Decembris eligere ex hominibus habitatoribus dictæ noſtræ Terræ Viros LXXV. Qui ſic electi, diuidātur in tres partes; videlicet, Pro qualibet parte viginti quinque, Deinde, ſic diuiſi, deſcribātur in tribus liſtis, videlicet, In qualibet liſta viginti quinque; Quę liſtæ, ſic deſcriptæ, inuoluantur in tribus pillulis, ſiue pallutis cæræ viridis, ſiue rubeę, ſiue albæ, ita vt vna quæque pillula, ſiue palluta includat, & cooperiat vndique vnam ex dictis tribus liſtis deſcriptis, vt ſupra; Poſt hæc ponantur dictę pillulæ, ſiue pallutæ in vna buſſola, ad hæc deputata, & conſeruetur dicta buſſola cum dictis pillulis, ſiue pallutis cum diligentia in Sacriſtia Eccleſiæ Matricis dictæ Terrę in vna capſa, ad hęc deputanda, quæ duas habeat claues, quarum vna remaneat penes Archipresbyterum dictę Terræ, alia penes Maſſarium, & Procuratores: Quibus, ſic ordinatis, conuocetur Conſilium vltima die eiuſdem

Menſis

Menſis decembris in Eccleſia, Miſſaque ſolemniter celebrata, aperiatur capſa prædicta, de qua buſſola extrahatur vna ex dictis pillulis, ſiue pallutis, & qui inuenientur deſcripti in liſta, ibidem intercluſa, publicentur, & ſint Conſiliarij dictæ terrę Cutignolæ, hocque pacto commoneantur oẽs, & ſinguli noui Conliarij per Plazarios ad domum habitationis eorum, ſiue perſonaliter inuenti. In Kalendis verò Ianuarij, proxime ſequentibus, conueniant ſummo mane Capitaneus, & prædicti nouiter deputati ad prædictam Eccleſiam, ibique Miſſa reuerenter celebrata, veniant ad Palatium, vbi conuocari conſueuit Conſilium, & ibi per dictum Capitaneum deferatur omnibus, & ſingulis iuramentum, de benè, & fideliter conſulendo (vt moris eſt) & omnia, & ſingula per huiuſmodi Conſiliarios ordinata, ac deliberata teneant roboris firmitatem, & executioni mandentur, dummodo ſint concordes ad minus pluſquã duæ partes, videlicet de viginti quinque, concordentur xvij. Quorum Conſiliariorum officium duret per Annum vnum, incipiendo à dictis Kalendis Ianuarij vſq; ad totum menſem Decembris, proxime ſequentis; Quorum officio completo, extrahatur alia pillula, ſiue palluta ex ſuperſtite introſcripta buſſola cum ſolemnitatibus ſupraſcriptis; & ſimiliter de tertia palluta, completo officio Conſiliariorum, qui inuenientur in ſecunda palluta; Exactis verò tribus Annis, Capitaneus ibi noſter, qui pro tempore erit, imbuſſolabit, & imbuſſolari teneatur, & debeat alias tres pallutas, ſingulis tribus Annis venturis cum modis, & ſolemnitatibus ſupraſcriptis, ſub pœna ammiſſionis ſalarij ſui duorum Menſium, Camerę q; noſtræ applicandi; hoc addito, vt omnes, & ſinguli electi debeant acceptare, & exercere, & acceptent, & exerceant perſonaliter eorum officium. Quod ſi quis acceptare, vel exercere perſonaliter noluerit, compellatur per Capitaneum acceptare, & exercere, aut ſoluere de bonis proprijs pœnam librarum quinquaginta bonon Cameræ Ducali, vel dicto Communi, irremiſſibiliter applicandarum, & hoc, vbi non valeant legitimam cauſam allegare; quo caſu ad ſolutionem non compellantur, ſed loco illorũ alij ex deliberatione Capitanei, & Cõſilij ſubrogentur; In electione verò aliorum Officialiũ dictæ noſtræ Terræ ſeruentur Statuta, ſuper his diſponentia.

Hęc eſt copia literarum Illuſtriſſimi Domini Noſtri Domini Ducis Mediolani pro Ratificatione omnium, & ſingulorum Statutorum, ſupraſcriptorum, reformatorum per Præfatum Dominum Noſtrum &c. videlicet.

Dux Mediolani &c. Papiæ, Anglerięq; Comes, ac Cremonæ Dñs.

Dilecti Noſtri. *Hauemo inteſo quanto D. Lorenzo da Corneto noſtro fameglio ne hà eſpoſto per voſtra parte, maſſime circa la reformatione de gli Statuti per voi domandati: Hauemo fatto con diligenza eſaminare per lo noſtro Conſeglio di giuſtitia tutti, e ſingoli capitoli d'eſſi Statuti, e reformargli in la forma, gli hauete domandati, & in la preſente ve gli mandiamo introcluſi, li quali vogliamo, facciate incorporare nel Volume de gli Statuti di queſta noſtra Terra, & in futurum per legge oſſeruare.* Poſtea in dictis literis

ſequuntur

ſequuntur aliæ partes, quæ non ſunt hìc regiſtratæ; quia non faciunt ad propoſitum; Et ideò ſunt dimiſſę; Deinde in fine dictarum literarum ſequitur.
Dat. Mediolani die 22. Aprilis 1459. Poſtea eſt ſubſcript. dictis literis.

Chicus.

A tergo verò dictarum literarum eſt deſcriptum,

Egregio, & Prudentibus dilectis Noſtris Capitaneo, Maſſario, Prócuratoribus, & Conſilio Terræ Cutignolæ.

Ego Zacharias filius Magiſtri Vgonis Zarabini de Cutignola Publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac Iudex ordinarius, & ad præſens Notarius Communis Cutignolæ, omnes & ſingulas ſupradictas Statutorum Additiones, & Reformationes, vnà cum ſupradictis literis Ducalibus, ex commiſſione mihi facta per Homines Conſilij Terræ Cutignolæ fideliter ſcripſi, exemplaui & aſſumpſi de verbo ad verbum, prout in originalibus prædicti Illuſtriſſimi Domini Noſtri Ducis Mediolani, dictæ Communitatis Cutignolę tranſmiſſis, reperi. In quorum fidem me ſubſcripſi, ac ſignum meum conſuetum tabellionatus appoſui; currentibus Annis Domini N. I. C. Milleſimo Quadrageſimo ſexageſimo. Die 2. Menſis Ianuarij.

Hic inferiùs continetur, & ſubſcriptum eſt quoddam Statutum ſuper ſucceſſionibus ab inteſtato, conditum, & reformatum per Illuſtriſſimum Principem, & Potentiſſimum Dominum Noſtrum Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem &c. prout conſtat, & apparet in literis præfat. eius Illuſtriſſimæ Dominationis, communi Cutignolæ directis, ac deſtinatis, & inferiùs regiſtratis; Quarum literarum tenor talis eſt videlicet.

DVX MEDIOLANI &c.
Papiæ, Angleriæque Comes, ac Cremonæ Dominus.

Dilecti Noſtri *Hauemo receuuto la voſtra lettera delli xxv. del paſſato, & inteſo quanto per quella ne ſcriuete. Riſpondendo alla parte, doue ne richiedete, che, per bene generale di queſta noſtra Terra, ve vogliamo ratificare lo Statuto, poſto ſotto la Rubrica de Succeſſionibus ab inteſtato, ſecondo la forma, che voi ci domandaſte altre volte, & de preſente ci replicate, cioè in queſta forma.* Quòd, extantibus Maſculis legitimis, & naturalibus vſque ad quartum gradum, Fęminæ non ſuccedant ab inteſtato, ſed contentæ remaneant dote, eis aſſignata ſecundùm facultatem Patrimonij, & non poſſint vlteriùs petere de bonis Paternis, vel Maternis, occaſione legitimæ, vel alia occaſione; *Però, che quella forma, ouero copia dello Statuto di Milano, che vi mandammo alli dì paſſati circa queſto fatto de Succeſſionibus ab inteſtato, è molto proliſſa e longa; E ſolo vi ſodisfaria detta forma, che voi richiedete: Dicemo, che poi che così vi piace, e ſodisfaria più eſſa voſtra forma, che non fà quella, vi hauemo mandata dello Statuto di Milano; Siamo contenti, e vogliamo, che vſate il detto Statuto de Succeſſionibus ab inteſtato ſecondo la forma, che vi mandiamo qui inchiuſa la quale è proprio ſecondo la voſtra richieſta; E vogliamo, che la facciate regiſtrare appreſſo gli altri Statuti, e che ſia ſeruata per legge fin à tanto, che à noi parerà d'aggiongerle, o minuirla, ouero reformarla; Altrimente,*

ſecondo

ſecondo, che per maggior bene generale della Terra ne pareſſe ſtar meglio. Dat. Mediolani die IX. Februarij M. CCCC. LX. Bene V.

Deinde erat ſubſcriptum. *Cicus.*

A tergo verò dictarum litterarum

Nobilibus, ac Prudentibus Dilectis Noſtris Maſſario, Procuratoribus, & Hominibus Cutignolę.

De Succeſſionibus ab inteſtato. *Rubrica XXV.*

STatuimus, & ordinamus, vt extantibus maſculis legitimis, & naturalibus vſque ad quartum gradum, fœminæ non ſuccedant ab inteſtato, ſed contentæ remaneant dote, eis deputata ſecundùm facultatem patrimonij; Et non poſſint vlteriùs petere de bonis paternis, vel maternis, occaſione legitimæ, vel alia occaſione.

Ego Zacharias Magiſtri Vgonis Zarabini de Cutignola Publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac Iudex ordinarius, & ad præſens Notarius Communis Cutignolæ, ex commiſſione mihi facta per Homines Conſilij dictæ Terræ ſupradictas literas Ducales, ac etiam ſupradictũ Statutum Reformatum fideliter ſcripſi, exemplaui & deſumpſi à verbo ad verbum, pro vt in originalibus præfati Illuſtriſſimi Domini Noſtri reperij ſcriptum: In quorum omnium, & ſingulorum ſupraſcriptorum fide me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui, currentibus Annis Domini N. I. C. Milleſimo Quadrigenteſimo ſexageſimò, Indictione octaua, Die 27. Menſis Februarij.

Inferiùs ſunt nõnulla decreta Illuſtriſſimorum Dominorum Noſtrorum cum literis directis ſpectabili, & eximio legum Doctori D. Ioanni Ottoni ex Comitibus Medæ, honorab. Capitaneo, & Commiſſario Terrę Cutignolæ; Quæ decreta eorum Excellentiæ volunt inuiolabiliter obſeruari pro lege in Terra Cutignolæ, & eius Territorio, ac Iuriſdictione, prout etiam regiſtrata fuerunt cum dictis literis in præſenti volumine Statutorum per Ioannem Notarium Marotium à Cutignola de mandato præfati Domini Capitanei, & Commiſſarij, vt infra per ordinem apparet; & primo, Tenor litterarum, videlicet.

BLANCA MARIA) Vice Comites Duces Mediol. videl.
GALEAT. MARIA SFORTIA)

DIlecte Noſter. Vidimus Capitula, quæ nobis ſuperioribus diebus tranſmiſiſtis, quorum aliqua nobis exorbitantia, & minimè concedenda viſa ſunt; Et ſuper his comperijmus, ab Anteceſſoribus noſtris ædita fuiſſe decreta, normam, & legem dantia contra delicta, quæ committuntur; aliqua verò honeſta, & toleranda; Pręterea ad reprimendum appetitum, & effrænatam mentem eorum, qui in malis moribus, & delictis verſari conſueuerunt, ac proni ſunt ex impunitate delinquentium, & Viros bene compoſitos, & quietem

ſuam

ſuam, ac totius Vniuerſitatis Terrę illius, qui iure, & honeſtè viuere ſtudent, agūt, & vexare moliuntur, Volumus, & mandamus vobis, vt capitula ipſa, & decreta quorum copiam, hìc incluſam, vobis tranſmittimus, in locis publicis, & conſuetis illius Terræ publicari, & inuiolabiliter obſeruari faciatis, eaq; in volumine aliorum Decretorum, & Statutorū prædictæ Terrę deſcribi, & regiſtrari faciatis. Dat. Mediolani die 9. Decembris 1466. *Deinde erat ſubſcriptum.*

Cicus.

A tergo verò dictarum litterarum.

Nobili, & ſapienti Doctori D. Ioāni Octoni ex Comitibus Medę Capitaneo Noſtro Cutignolæ.

De Pœna committentis furtum. *Rubrica XXVI.*

PRimò, quoniam furandi vſus in aliquibus inſolentibus conſuetudinē obtinuit, vt Terra ipſa Cutignolę, & homines bene viuendi normam obſeruañ. in ſcandalum deducti ſint, & dietim iurgia ſuſcitentur; Propterea ad eradicationem tanti ſceleris, vt ſcādalorū rabies amputetur, ſtatuimus, & ordinamus, vt quicunque maior Ann. xviij. furtum commiſerit valoris librarū viginti quinque, & ab inde infra, condemnetur in duplum valoris rei ſubtractæ; ſi fuerit de diẹ; Si verò de Nocte in quadruplum, & vltra in reſtitutionem rei; quod ſi ſoluere non poterit infra tres dies, Tunc arbitrio Dñi Capitanei fuſtigetur, qualitate tamen facti, & perſona attentis: Si autem aſcenderit vltra dictam ſummam librarū viginti quinque, & ab inde ſupra, vſque in quinquaginta; Tunc ſi cōmiſerit de die, condemnetur in libris centum; Si de nocte in libris ducentum, & vltra in reſtitutione; quas ſi non ſoluerit infra tres dies, vel bene cautum Maſſarium fecerit Communis, tunc eidem manus ſiniſtra amputetur: Si verò tria furta, vel plura commiſerit, ſiue de die, ſiue de nocte, tunc furcis ſuſpendatur. Minor autem decem, & octo Annis, ſi furtum commiſerit, ad reſtitutionem rei condemnetur, & vltra per viginti dies in carceribus, & cōpedibus bene cuſtodiatur.

De Pœna facientium ligas parentelarum, & Hominum Adunationes. *Rubrica XXVII.*

COeterum abhorrentes quantum decet, venenoſos animos eorum, qui, vt conuicinos ſuos comprimere valeant, & iniurias inferre, ligas faciunt, & hominum adunationes: pręſenti Statuto noſtro ſtatuimus, & ordinamus, vt nemo ſit, qui velit, & de quouis parentato nuncupetur, audeat, vel præſumat ligam facere, nec alium, vel alios de alio parentato, ſiue ſit ciuis, ſiue non, ſecum colligare, nec adunationem facere, ſub pœna æris pariter, & perſonę; Immò quamcunque ligam factam, debeat reuocaſſe, & annullaſſe, ſub pœna prædicta; ſed diſcat ciuiliter, & pacificè viuere, & bene conuicinari. Inſuper declaramus, & ordinamus, talem ligam, etiam ſi iuramentum interuenerit, nullam fore, & obſeruantiam non mereri.

De modo faciendi deſcriptiones bonorum pro Maleficijs infraſcriptis. Rub. XXVIII.

NOS Dñs Mediolani,&c. Comes Virtutum,Imperialis Vicarius generalis, conſideramus,quòd pœnę aliæ graues,alię grauiores, pro earũ qualitatibus imponũtur,& ad hũc finem, vt Audacia maloiũ,quorũ infinitus eſt numerus,ab illicitis fręnetur. Quare volẽtes, quantũ poſſumus obuiare,ne infraſcripta maleficia cõmittantur & prouidere, vt ſi cõmiſſa fuerint, debita animaduerſione puniantur, Tenore pręſentiũ edicimus, decernimus, & mandamus, vt quicunq; cõmiſerit homicidiũ, Aſſaſſiniũ, robariã, incendiũ, aut Raptũ virginũ mulierũ; ſiue cõmitti fecerit, & per contumaciã fuerit ad menſẽ ex aliquo criminum prædictorũ,bona ipſius Camerę applicentur,& publicẽtur,& ipſo iure, publicata,& incorporata à die cõmiſſi criminis intelligãtur. Iure tm̃ legitimę aſcendentium,& deſcẽdentiũ reſeruato,in quo nullũ intendimus ex pñti noſtro Decreto fieri pręiudiciũ: Quorũ executiones,ad obuiandũ fraudibus,& extorſionibus, olim perpetratis, tam in noſtrę Camerę pręfatę, quàm in Noſtrorum nõ modicũ præiudiciũ ſubditorum, fieri volumus in hunc modũ, videl. Quòd Poteſtas, ſeu Rector illius Ciuitatis, vel Terrę, in cuius diſtrictu fuerit crimen cõmiſsũ, teneatur,& debeat,poſtquã notitia cõmiſſi criminis ad ipsũ peruenerit,infra duos dies mittere Collateralẽ ſuum, ſiue Notarium maleficiorũ: Si Notarius forẽſis ibi fuerit ad maleficia deputatus; ad ſcribendum bona illius, quí inculpabitur de crimine prędicto, cum quo Collaterali, ſiue Not. ferenſi,teneatur Referendarius, vel eius Locumtenens illius Ciuitatis,vel loci, ſi ibi tunc fuerit, Notar. ſuum mittere; Qui Collateralis, ſiue Notarius forẽſis,& Not. Referendarij in pñtia Cõſulis, ſiue Antiani,& duorũ bonorum hominum Contratę,ſeu Parochię, vbi bona dicti inculpati eſſe cõtingant; ſi fuerit in Ciuitate; vel ſi fuerit in Villa, vel Caſtello, ſiue Caſtro,in pręſentia Cõſulis,ſiue Antiani, & duorum bonorum hominũ illius Villæ, vel Caſtri,vbi fuerint bona prędicta,debeãt quilibet per ſe ſcribere, & notare oĩa bona, mobilia, immobilia inculpati prædicti, & ea conſignare Antianis, ſiue Conſulibus, & bonis Viris prælibatis: Et hoc, vbi bona illa ſint in Iuriſdictione illa, in qua crimen commiſſum ſit: Si verò fuerint in alia Ciuitate, ſeù Iuriſdictione, tunc debeat dictus Poteſtas, ſiue Rector, infra dictos dies duos, ſcribere Poteſtati, ſiue Rectori, & Referendario Iuriſdictionis prædictæ, vt faciant deſcriptionem prędictã, quam, modo ſupradicto infra alios duos proximos dies, ad faciendã, mittere teneantur: quam deſcriptionem idem Poteſtas, vel Rector, & Referendarius mittere debeant infra octo dies; poſtquam facta fuerit, Mediolañ. Officiali poſſeſſionum noſtrarum. Teneatur autem, & debeat dictus Poteſtas, ſiue Rector, poſt condemnationem per contumaciam factã, de aliquo criminum prędictorum, ſi bona fuerint in Iuriſdictione, ſibi cõmiſſa, infra duos dies facere proclamari per totam Ciuitatem, vel Terram in locis publicis, vbi dicta bona eſſe contingat, quòd quilibet, qui contendat, ſeu prætendat, ſe creditorem talis condemnati, teneatur infra vnum menſem à die cridæ factæ, comparere coram dicto Poteſtate, vel Rectore, & in ſcriptis ꝓducere omni, & totũ id quod habere

prætendit

prætendit à dicto condemnato, & in eius bonis; Et hoc ſi fuerit intra Iuriſdictionem illius Ciuitatis, vel Terrę, in qua cōdemnatio facta fuerit: Si verò fuerit extra Iuriſdictionem prædictā, in Terris tamen Dominj noſtri; tunc ſtatuatur illi terminus trium menſiū ad comparendum, vt ſupra; Si verò fuerit extra terras Dominij noſtri prædicti; tunc prefigatur ſpatium ſex Menſiū ad cōparitionem prędictam: quem terminum ſex menſium locum habere decernimus, & in pupillis, furioſis, & Viduis, & Mulieribus prætendentibus iura dotalia; quibus terminis elapſis, ſingula ſingulis referendo, nulla admittatur productio Iurium contra bona talis, vt pręmittitur cōdemnari. Si autem bona prędicta fuerint extra Iuriſdictionem prædicti Poteſtatis, vel Rectoris tūc teneatur, & debeat, infra duos dies prædictos, ſcribere Poteſtati, ſiue Rectori illius loci, in quo fuerint bona condemnati prædicti, qui faciat cridam fieri prędictam, ſicut ſuperius continetur, & ille Poteſtas, ſiue Rector, cui mandatum fuerit, infra alios duos dies, eandem cridam fieri facere teneatur; Si quem autem comparere contingat, producentē aliqua iura in bonis condemnati prædicti coram dicto Poteſtate, vel Rectore; Volumus, prædictum Referendarium intereſſe omnibus productis Iuribus prædictorum, & Aduocatos habere pro Camera noſtra prædicta, qui diligenter Iura ipſius Cameræ defendant, ne fraus aliqua committatur; Et ſi comparuerint quicunque per calumniam manifeſtā, aliquid indebitè petentes in bonis cōdemnati prædicti volumus ipſum in quadruplum eius, quod peteret, condemnari; Volumus inſuper, vt Poteſtas, ſiue Rector prędictus teneatur, & debeat examinaſſe, & expediuiſſe infra duos menſes, à die primę comparitionis computandos, oēm proceſſum, quem fieri contigerit occaſione aliquorū Iurium, quæ producerentur contra bona condemnati prædicti, & infra dictos duos menſes, his quos repererienti ius habere in bonis prædictis, vel veros eſſe creditores cōdemnati prædicti, integre ſatisfeciſſe in, & de bonis cōdemnati prędicti, quæ bona ſi in ſolutū dari contingat, volumus æſtimari per æſtimatores illius Ciuitatis, vel loci, in quo fuerit Poteſtas, vel Rector prædictus, adiunctis eiſdem ęſtimatoribus duobus bonis Viris, per dictum Poteſtatem, & Referendariū eligendis; qui delato ſacramēto, iurent, ſe fideliter ęſtimare, & quòd Referēdarius antedictus ſit, & eſſe debeat pręſens æſtimationi, quam facere fieri continget per dictos æſtimatores; habendo tn̄ bonam, & diligentem animaduertentiam, vt in facto æſtimationis huiuſmodi nulla fraus valeat, quoquomodo cōmitti; Factis autem ſatisfactionibus prędictis, teneantur dicti Poteſtas, ſiue Rector, & Referendarius notificare ſtatim Officiali poſſeſſionum prædictarum omnia illa, quæ fuerint reſtituta, vel in ſolutū data de bonis ſupra deſcriptis, vt Reſiduum ponatur ad rationem Camerę prędictę. Sed, & ſi nullo comparente infra terminū dictę cridæ, aut comparente ſine legitimis iuribus contra bona prædicta, nihil fuerit reſtitutum, aut in ſolutum datum; Præfati Poteſtas, ſiue Rector, & Referendarius notificare debeant Officiali prænominato, quod de bonis dictis deſcriptis, nulla fuerunt relaxata. Poſt quas notificationes, & non ante, volumus, Præfatos Officiales facere deſcribi in libris Cameræ noſtræ præfatæ bona illa, quæ penes ipſam Cameram

remanſerunt publicata. Si autem Poteſtas, ſiue Rector, & Referendarius prędicti omnia, & ſingula ſupraſcripta, executioni mandare neglexerint, quemlibet eorum in ſalario vnius menſis, noſtræ Cameræ applicando, præſenti Decreto mulctamus. In quorum teſtimonium præſentes fieri iuſſimus, & regiſtrari, noſtrique ſigilli munimine roborari. Datum Mediolani die prima Septembris M. CCC. LXXXVII. Indictione vndecima.

Antonius Retondus publicus Preco Communis Mediolani alta voce, ſono tubæ prǫmiſſo, proclamauit, & diuulgauit ſupradictum Decretum de verbo ad verbum, prout ſuperius continetur. 1387. die Martis prima Menſis Octobris.

De prohibitione delationis Armorum. Rubrica XXIX.

NOS Dominus Mediolani, &c. Comes Virtutum Imperialis Vicarius Generalis. Quoniam ex delatione armorum, plerunque facinoroſis præbetur occaſio delinquendi, hoc generali edicto decernimus, ſtatuimus, volumus, & mandamus, vt non ſit aliqua perſona, cuiuſuis ſtatus, & conditionis exiſtat, quæ audeat, vel præſumat ſub noſtro Dominio in aliqua parte Territorij noſtri, nobis ſuppoſiti arma portare de die, vel de nocte, ſub pœna amittendi arma, & ſoluendi florenos viginti, applicandos Camerę noſtrę, & ſtatim irremiſſibiliter exigendos, ſi incidens in pœnam prędictam fuerit habilis ad ſoluendum; Alioquin carceribus mancipetur, ibique maneat carceratus per menſes duos, ſi fuerit de die; Si verò de nocte per menſes quatuor continuos, quibus elapſis relaxetur, & non ante: Excipimus tamen à prædictis infraſcriptos ſub conditionibus, modis, & ordinibus, inferiùs limitatis videlicet. Primò omnes illos, qui à nobis per litteras noſtras licentiam habent, vel habuerint ferendi arma. Item Officiales ſtipendiarios, & familiares noſtros, & etiam Officiales familiares, & famulos cum eis comorantes in eadem familia ad vnum panem, & vinum. Item familiares Reuerendi Patris Archiepiſcopi Mediolani, cum ipſo Domino Archiepiſcopo commorantes in eadem familia ad vnum panem, & vinum. Similiter familiares Epiſcoporum aliarum Ciuitatum noſtrarum cum ipſis commorantes in eadem familia, vt præfertur. Item officiales Datiorum Mediolani, & comitatus neceſſarios ad Datia exercenda, quos Referendarij noſtri Mediolani duxerint eligeñ; Et quibus Collaterales noſtri Mediolani licentiam conceſſerint, arma ferendi pro eorum officijs exercendis, per eorum literas, vel bullectinos, eorum ſigillis ſigillatos, & non aliter. Item officiales Datiorum aliorum Ciuitatum, & Terrarum noſtrarũ neceſſarios: quos Referendarius vnà cum poteſtate ipſarum Ciuitatum, & Terrarum, videlicet quilibet in iuriſdictione, ſibi conceſſa, duxerit eligendos, & quibus ipſe Poteſtas licentiam conceſſerit arma deferendi per eius literas, vel bullectinos, ſuo ſigillo ſigillatos, & non aliter. Item forenſes, & Alienigenas, & Viatores, ab alienis partibus ad noſtra Territoria accedentes, vel per ea tranſitũ facientes; quibus itinerando liceat arma portare: ſed dum hoſpitati fuerint in aliqua Ciuitate, caſtro, vel Villa, & loco, ipſa arma deponant: ſaluo, quòd nobiles forenſes, & Amba-

ſciatores

ſciatores forenſes, eorumque famuli, poſtquam hoſpitati fuerint in dictis Ciuitatibus, Caſtris, vel Terris noſtris, poſſint Arma geſtare liberè, & impunè. Item Mercatores, & Ciues Ciuitatum noſtrarum, & Terrerios noſtrarum Terrarum habentium merum, & mixtum imperium, quibus, eundo ad vias ſuas de vna Terra ad aliam pro eorum mercantijs, vel negotijs, liceat arma portare, videlicet Spatam, & cultellum tantùm; dummodo ipſa Arma deponant ſtatim, cum applicauerint, & hoſpitati fuerint in aliqua Ciuitate, Caſtro, vel Terris, vt ſupra. Mandantes Vniuerſis, & ſingulis Rectoribus, & Officialibus noſtris, ad quos ſpectat; quatenus ſub pœna noſtrę indignationis, huiuſmodi Decretum faciant puplicè diuulgari, ac inuiolabiliter obſeruari, & executioni mādari rigorosè taliter, vt tranſgreſſores huius noſtri Decreti nullatenus tranſeant impuniti; nec non in voluminibus aliorum Decretorum noſtrorum, ſtatutorum, ac ordinamentorum Ciuitatum, & Terrarum noſtrarum inſeri, & deſcribi faciant. In quorum fidem, & teſtimonium, &c.

De Denuntijs Criminum facien. per Maſſarios, & alios Officiales. *Rub.* XXX.

P*Hilippus Maria, &c.* Superiori Anno die xij. Menſ. Nouembris nouū Decretum condidimus, circa denuntias criminum, exceſſuum, ac delictorū deferendas per Conſules, Antianos, ac alios huiuſmodi homines alicuius Communis ſpiritualis, noſtrarum Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, Locorum, & Villarum, Rectoribus, Poteſtatibus, cęterisvè iuſdicentibus, nec non ſyndicis, & Procuratoribus fiſcalibus Cameræ noſtræ, & Communitatum, de quibus ſupra, ipſorumque criminum, exceſſuū, & delictorum punitiones debitas, prout latiùs, & ſerioſiùs in eo colligitur: Quod ſanè debita reformatione egere nobis viſum eſt: idcirco, vt Conſules, Antiani, & alij, vt ſupra, quid ad eorum denuntiandi officium attineat, cognoſcant; quidve Aduocati, ac Syndici, & Procuratores Cameræ noſtræ, ac Communitatum, vt ſupra, & ſubſequenter Poteſtates, Rectores, cœteriſque Officiales, de quibus in eo fit mentio, non ſolum pręſentes, ſed & qui à decem annis citrà officia non exercuerunt, facere non teneantur; vtq; innoteſcat quantopere ipſorum Officialium negligentia veniat punienda; qua Reformatione non dubitamus ſatis abundè colluſionibus, deceptionibus, ac fraudibus, de quibus in ipſo Decreto mentio habetur, prouiſum iri; ita vt delicta, criminaque ſub ſolita diſſimulatione non pertranſeant; icciroo matura deliberatione pręhabita, hoc noſtro pręſenti decreto in perpetuum valituro, decernimus, ſtatuimus, & ordinamus, vt quilibet Conſul, Antianus, vel ſimilis, vt ſupra cuiuſcunque Ciuitatis, Terrę, Caſtri, Villæ, Loci, vel Parochiæ, nobis mediatè vel immediatè ſubiectus, ſingula ſingulis cōgruè referendo, teneatur, & debeat infra quinq; dies in Ciuitate, ſuburbijs, burgis, & ipſis Ciuitati correſpondentibus, & in Terris, habentibus merum, & mixtum imperium, infra decem dies, à die commiſſi criminis, delicti, vel exceſſus numerandos, denuntiare, & in ſcriptis porrigere illi Rectori, & Iuſdicenti, ſub cuius iuriſdictione fuerit talis Conſul,

Antianus,

Antianus, vel alius, vt ſupra, omnes violentias, vel rapinas, robarias, occupationes, inuaſiones, agrorum depopulationes, raptus Virginum, & Mulierum, incendia, moleſtationes, turbationes poſſeſſionum, feritas ſanguinolentas, inſultus cum armis, fuſtibus, vel lapidibus, percuſſiones etiam non ſanguinolentas, aſſaſſinamenta, homicidia, delationes armorum prohibitorum, qui, vel quæ fierent, committerentur, & defferentur à ſolis ortu, vſque ad occaſum; & etiam quę facta, & commiſſa fuerint tempore noctis in Ciuitatibus, & eorum Vicinantijs, Parochijs, Antianarijs, Suburgis, Terris, Caſtris, Burgis, Villis, Locis, Caſſinis, Molendinis, vel finibus eorum, infra quindecim dies, à die commiſſi delicti, numerandos, vltra alia, quę denuntiare tenetur per formam aliorum Decretorum noſtrorum, aut aliquorum Statut. Ciuitatum, & Terrarum noſtrarum, vt ſupra, ſingula ſingulis congruè referendo, cum veris qualitatibus talium maleficiorum, delictorum, vel criminum, ac loco cohęrentiato, anno, & menſe commiſſi maleficij, ac cum nominibus, & cognominibus perſonarum, quę maleficium huiuſmodi commiſiſſent, vel committi feciſſent, ac inſcriptione nominum, & cognominum, teſtium, qui interfecerint, aut de ipſis delictis erunt quomodolibet informati, ſiue ex talibus maleficijs, delictis, vel exceſſibus pœna corporalis, aut confiſcationis bonorum, ſiue corporalis, & pecuniaria ſimul, ſiue corporalis tantùm, ſiue pecuniaria tantùm veniat imponenda, & ſiue huiuſmodi pœna Cameræ noſtræ tantùm; ſiue Communitati illius Ciuitatis, Terræ, vel loci tantùm; ſiue cameræ noſtrę, & Communitati ſimul, vel alteri perſonæ in totum, vel pro parte veniat applicanda; & hoc, ſub pœna cuilibet Conſuli, Antiano, vel ſimili, vt ſupra, qui non denunciauerit, & in ſcriptis nō portauerit, vt ſuperiùs, florenorum decęm; Et vbi pœna corporis, vel confiſcationis bonorum veniat imponenda, duplicetur pœna, & nihilominus teneatur infra ſimilem terminum denunciare, & in ſcriptis porrigere, vt ſupra; ſub eadem pœna pro quolibet eorum, & toties, quoties contrafecerit, Cameræ noſtræ applicanda, & hoc, vltra pœnas eis impoſitas per decreta, ſiue per ſtatuta illius Ciuitatis, Terrę, vel loci, in quo ſiue qua talis Conſul, Antianus, vel Parochianus moratur, ad quas pœnas ſi fuerint inhabiles, teneantur Communia Terrarum, aut Vicinantię, & omnes habitatores, & incolæ Terrarum prædictarum, Parochiarumque pro ſupradictis Conſulibus, Antianis, vel ſimilibus negligentibus, vt ſuperiùs, ſingula ſingulis congruè referendo, de quorum negligentia Poteſtates, Rectores, cęterique ius dicentes in eorum Iuriſdictionibus tempore ipſorum officiorum teneantur, & debeant inquirere, & eos punire, ac huiuſmodi pœnas, & cōdemnationes ad Cameram noſtram extraordinariam temporibus debitis mittere, & exigere ſub pœnis, contentis in alijs noſtris ordinibus. Si verò fuerint negligentes, tempore ipſorum ſyndicatus, per Vicarios noſtros generales ſollicite, & diligenter inquirátur, ac debitis pœnis puniantur, & cōdemnentur pro qualitate damni, illati Camerę noſtræ, ac Cōmunitatibus, vel alijs quibus pœna taliū delictorum veniebat applicanda, ſub pœna reficiendi de proprio ipſorum Vicariorum noſtrorum, vbi, & ſi ipſi negligentes, ac tepidi fuiſſent in præmiſſis.

Ego

Ego Ioannes filius Betutij de Marotijs de Cutignola publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, nec non Iudex ordinarius, & ad præſens Notarius, & Cancellarius Communis Cutignolæ, ex commiſſione mihi facta per ſpetialem, & eximium V. Doctorem Dominum Ioannem Octonum ex Comitibus Medæ Capitan. honorab. & Commiſſarium dictæ Terræ Cutignolæ, ſupradictas literas, & decreta fideliter ſcripſi, regiſtraui, & exemplaui, & aſſumpſi de verbo ad verbum, nil addendo, vel minuendo, pro vt in originalibus præfatorũ Illuſtriſſimorum Dominorũ noſtrorum, præfato Domino Capitaneo tranſmiſſis, inueni. In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui; currentibus Annis Domini N. I. C. Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione decima quinta, die xij. Menſis Februarij.

Infraſcriptæ ſunt non nullæ literæ Illuſtriſſimorum Dominorum noſtrorum directæ ſpectabili, & eximio legum Doctori Domino Ioanni Octoni ex Comitibus Medæ honorab. Capitaneo, & Commiſſario Terræ Cutignolæ, ſuper ordinibus, obſeruandis in Conſilio Communis ipſius Terræ Cutignolæ, quæ regiſtratæ fuerunt per me Ioannem de Marotijs de Cutignola Not. publicum dictæ Terræ in præſenti volumine Statutorum de mandato præfati Domini Capitanei, & Commiſſarij, vt infra, Videlicet.

BLANCA MARIA)
GALEAT. MARIA) Vicecomites, Duces Mediolani, &c.

De modo ſeruando in Conſilio, & de condemnationibus componendis. *Rub.* XXXI.

Dilecte Noſter. Accepimus ex nonnullarum perſonarum fide dignarum relatu, quòd Conſilia, quę in multis Status noſtri locis per Deputatos fiunt, potiùs reuocantur ad appetitum, & libidinem, quàm ad bonam, & laudabilem obſeruantiam; ex quo fit, vt ſępenumero conuitia, altercationes, & verba indecentia, & contumelioſa proferantur, & in medium adducantur; Quamobrem hanc malam conſuetudinem, quæ, in conſilijs conficiendis, iam diù viguit, excerpere deliberauimus, & nouam in pleriſque Ciuitatibus, & ciuiliter, & honeſtè viuentibus obſeruatã inducere volumus; Itaque, & Vobis mandamus, quòd, quotieſcunque fieri continget Conſilium in Terra illa per deputatos, ſeu deputandos ad hoc, ſcribantur omnes propoſitiones, quæ fient in ipſo Conſilio, & poſtea legantur omnibus, in ipſo Conſilio exiſtentibus; dehincque id, quòd per vnumquoque ex ipſis conſiliarijs conſultum fuerit, ſigillatim ſcribatur, & aballutentur vota cum fabis, & faſeolis, & ea vota, quæ ſuperiora, & ad maiorem numerum euaſerint, obſeruari, & executioni mandari faciatis, vt ceſſent tumultus, & varietates, quæ non ſine odio, & maxima ignominia hactenus ſequutæ ſunt. Cæterum, quia vt certificati ſumus, ſępenumero contingit, homines Terræ illius propter inhabilitatem ſoluendi condemnationes, quæ contra eos fiunt, ſe abſentare à Terra illa, & ad alia loca finitima ſe conferre; vobis facultatem, & arbitrium concedimus compoſitiones de ipſis cõdemnationibus faciendi,

faciendi, cum conſenſu tamen partis offenſæ, vt euitentur ſcandala, quæ aliter ſequi poſſent. Dat. Mediolani die decima Decembris M. CCCC. LXVII.
Deinde eſt ſignatura infraſcripta.

Chiccus.

A tergo dictarum litterarum.

Nobili, & Sapienti Doctori D. Ioãni Octoni ex Comitibus Medæ Capitan. Noſtro Cutignolę.

Ego Ioannes filius Betutij de Marotijs de Cutignola publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, nec non Iudex ordinarius, & ad præſens Notarius, & Cancellarius Communis Cutignolæ, ex commiſſione mihi facta per Præfatum Dominum Ioannem Octonem Capitaneum prædictum, ſupradictas literas Ducales fideliter ſcripſi, regiſtraui, & aſſumpſi de verbo ad verbum, pro vt in originalibus ipſarum litterarum inueni, nil addendo, vel minuendo. In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui; currentibus Annis Domini N. I. C. Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, die xiij. Menſis Februarij.

Hic inferius continetur, & ſcriptum eſt quoddam Edictum Statutum, & ordinomentum, conditum per Illuſtriſſimum Principem, ac præpotentem Dominum Galeat. Mariam Sfortiam Mediolani Ducem, Papiæ, Angleriæque Comitem, Genuæ, atque Cremonæ Dominum &c. aſſumptum, & exemplatum per me Zachariam Zarabinum Not. Rub. infraſcriptum, ex Ducalibus literis deſtinatis ſpetiali, & Eximio legum Doctori Domino Ioanni Octoni ex Comitibus Medę honorab Capitaneo Terrę Cutignolæ; quarum litterarum tenor ſic incipit, vt infra, Videlicet.

DVX MEDIOLANI, &c.

De pœna tranſgredientis muros, ſeu foueas. *Rubrica* XXXII.

Dilecte Noſter. Allatæ nobis fuerunt literæ veſtræ diei 2. inſtantis Menſis Ianuarij, quibus ſerię, & ordine ſequuta omnia, nunciatis aduerſus Dominicum Gratianum, cognomento Gambarinum, ex Terra illa noſtra Cutignolæ, quem in pedis amputatione, ſi libras centum bonoñ. infra decem dies non ſolueret, condemnatum, ob commiſſos à ſe tranſgreſſus quoſdam; euadendo præſertim, tranſeundo, & violando muros, foſſamque Terræ ipſius nuper cum præſidio prouiſionatorum Magnifici Domini Thadæi detinuiſtis, &c. Petijſtis etiam per eaſdem de mente noſtra, tàm ſuper caſu iſto, quàm circa edendũ ordinem, & Decretum ad huiuſmodi reprimendos, cohibendoſque tranſgreſſores per literas fieri certiores. Nos verò de omnibus conuenienti conſultatione, & matura deliberatione, ſuſceptis, reſpondemus primum, & quantum ad ipſum Gambarinum attinet, &c. Decernimus inſuper ad eius modi tranſgreſſus faciliùs in futurum comprimendos, edicimus, ſancimus, & volumus ſi contingat, aliquem, vel aliquos de cętero muros, & foſſam ipſius Terræ violare, & tranſgredi interdiù, aut per noctem, vt ille, vel illi, per quem, aut per quos tranſgreſſus, &

violatio

violatio murorum, & foſſarum, vt ſupra, committetur, cadat, ſeu cadant in pœnam librarum quinquaginta bonon. ſi per noctem; & in libras viginti quinque, ſi per diem tranſgreſſi fuerint pro qualibet vice, qua huic ordini noſtro contrafactum extiterit. In quam pœnam, vt ſupra, quilibet contrafaciens, ſit, qui velit, cadat & ex nunc, provt ex tunc, pro vt ex nunc incidiſſe, & incurriſſe intelligatur ipſo iure, & facto, eamque irremiſſibiliter ab quocunque contrafaciente auferri, & Cameræ noſtræ applicari, diſponimus; Declarantes quoque, quòd ſi continget, aliquem, vel aliquos muros, & foſſam ipſius Terrę tranſgredi, & (vt ſupra) contra ſtatum, & in præiudicium noſtrum, eum, vel eos, qui contra ſtatum, & in præiudicium noſtrum talia committere præſumpſerint, condemnari, & puniri debere, vltra pœnam ſupraſcriptam in aliam pœnam, pro arbitrio noſtro ſtatuendam: Hunc igitur ordinem noſtrum, non ſolùm inconcuſsè à vobis, & à Succeſſoribus veſtris in eo Magiſtratu, inuiolabiliterque, & perpetuò obſeruari volumus; Verùm etiam has literas, & ordinem noſtrũ ſtatim in locis publicis, & conſuetis Terræ illiu diuulgari, & publicari; Itavt nemo de his ignorantiam in futurum prætendere valeat, ac in Volumine aliorum Statutorum, & ordinum ipſius Terrę inſeri, & deſcribi facietis pro quanto gratiam noſtram cari penditis. Datum Mortarij die 12. Ianuarij 1470.

Cichus.

A tergo verò dictarum litterarum.

Egregio Doctori D. Ioanni Octoni ex Comitibus Medæ Capitaneo Cutignolę noſtro dilecto.

Ego Zacharias q. filius prouidi Vgonis Zarabini de Cutignola publicus Imperiali auctoritatæ Notarius, ac Iudex ordinàrius, ſupradictum Statutum, & ordinem conditum, vt ſupra, vna cum certa parte dictarum litterarum Ducalium, in quibus eſt deſcriptum, & inſertum dictum Statutum, fideliter exemplaui, & aſſumpſi, ipſumque Statutum, & Edictum, me legente, & vulgarizante, per Sandrum Barellam nuntium publicum Communis ſolemniter ſono tubæ præcedente, in Platea Communis iuxta Turrim Horologij publicatum fuit vna die Dominicę, poſt primam Miſſam celebratam, pluribus hominibus ibidem præſentibus, audientibus, & intelligentibus continentiam dicti Statuti, & ordinis alta voce per dictum Nunciũ publicati, atque notificati. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium, me ſubſcripſi ſignumque meum conſuetum appoſui; Quod quidem Decretum publicatum fuit, vt ſupra die 28. Menſis Ianuarij ſupraſcripti milleſimi.

In Chriſti Nomine Amen. *Infraſcripta ſunt duo Statuta edita per Homines de Conſilio Terræ Cutignolæ, vnum contra filios familias committentes criminalia, ſeu maleficia; & Alterum de ſucceſſionibus ab inteſtato, & reformata per Excellentiam Illuſtriſſimorũ Principum, & Excellentiſſimorum Dominorum noſtrorum Dominorum Bonæ, & Ioannis Galeat. Mariæ Sfortię Vice Comitum Ducum Mediolani, &c. Papiæ, Anglerięque Comitum, ac Genuę Cremonę Dominorũ, & lecta in Conſilio præſenti Terrę Cutignolę, & per ipſos homines de Conſilio admiſſa, & acceptata, nemine diſcrepante viua voce, & per ſpetialem, &*

clariſſimum Juris Utriuſque Doctorem Dominum Blaſium de Panizonibus de Alexandria honorab. Capitaneum in præſenti Terrę Cutignolę, auctoritate ſibi conceſſa per literas Ducales pręlibatorum Dominorum noſtrorum directas ipſi Domino Capitaneo, cõfirmata & approbata, vt latiùs conſtat in libro prouiſionum dictorum hominum de conſilio notata manu mei Ioannis Marotij Notarij infraſcripti, & regiſtrata, & incorporata per me Joannem ante dictum in pręſenti volumine Statutorum ipſius Terrę Cutignolę de mandato ipſius Domini Capitanei. Quorum Statutorum, & literarum Ducalium ſequitur tenor, Videlicet. Et primo tenor literarum Ducalium.

BONA, ET JOANNES GALEAT. MARIA SFORTIA Vice Comites, Ducis Mediolani.

Dilecte Noster. Quia nominè Maſſarij, Procuratorum Cõmunis, & Hominum iſtius Terræ noſtrę Cutignolæ, à nobis petitum, & poſtulatũ fuit, vt duo Statuta, per eos tradita de ſucceſſionibus ab inteſtato; & alterum contra filios familias, committentes criminalia, ſeu maleficia, noſtra auctoritatę cõfirmaremus: Cupientes rebus honeſtis fauere, reformari ipſa Statuta in eand formam fecimus; Quare, vt ea obſeruentur, ad vos mittimus incluſa, & imponimus, atque cõmittimus, quòd ſi in Conſilio (ſicut moris eſt) iſtius noſtrę Terræ fuerint admiſſa, ſiue ad verbum denuo ordinata, debeant dicta Statuta noſtra auctoritate confirmari, & approbari, quæ etiam nos, quò meliori, & validiori poſſumus modo approbamus, & confirmamus, in contrarium non obſtantibus quibuſcunque. Mediolani die 24. Ianuarij 1477. *Signatum.*

Cicchus.

A tergo Nobili, & Sapienti Doctori, D. Blaſio de Panizonibus Capitaneo Noſtro Cutignolę dilecto.

Statutum contra filios familias, Committentes Maleficia. Rubrica XXXIII.

SI fortè aliquis filius familias de cœtero commiſerit, ſiue perpetrauerit aliquod maleficium, crimen, ſeu delictum in Terra Cutignolę, & eius Territorio, & Iuriſdictione, ſiue cum conſenſu Patris, ſiue non; eius Pater teneatur, & obligatus ſit ſoluere condemnationem, faciendam contra dictum filium familias vſq; ad quantitatem librarũ quinquaginta bonon. tantum, dummodo hęc quantitas pecuniæ non excedat legitimam, vel pręſentare ipſum filium familias in carcere Communis Cutignolę; aliter ſit obligatus, vt ſupra.

Confirmatio Superioris Rubr. de Succeſſionibus ab inteſtato. Rubrica XXXIV.

STatuimus, & ordinamus, vt extantibus maſculis, & legitimis, & naturalibus, vſque ad quartum gradũ, fœminæ non ſuccedant ab inteſtato; ſed cõtentæ remaneant dote, eis deputata per ſuũ aſcendentẽ in eius teſtamẽto; vel aliter

deputanda

deputanda per ipſos maſculos, ſecundùm facultatem Patrimonij, & qualitatem perſonarum, ac ſtilum, & conſuetudinem Terrę Cutignolę, & non poſſint vlteriùs petere de bonis paternis, nec alterius aſcendentis occaſione legitimæ, vel alterius quotæ; vel ſupplemēti legitimę, vel alia occaſione Patris, ſeu alterius aſcendentis; ſed contentæ remaneant dote, eis data ſeu conſtituta; ſiue inter viuos, ſiue in vltima voluntate: Et idem intelligatur de deſcendentibus ex filiabus ipſis dotatis, & excluſis, vt ſuperiùs, vt deſcendentes ex talibus mulieribus intelligantur, & ſint excluſi eodem modo, pro vt excluſę remanent ipſę mulieres, vt non ſuccedant ab inteſtato, nec contra teſtamentum ipſius aſcendentis, vt ſupra.

Ego Ioannes filius Betutij de Marotijs de Cutignola Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, nec non Iudex ordinarius, & ad præſens Notarius, & Cancellarius dicti Communis de commiſſione, & mandato præfati Domini Blaſij Capitanei prædicti, dicta Statuta edita, & approbata, & prædictas literas Ducales fideliter regiſtraui, exemplaui, & aſſumpſi de verbo ad verbum, nil addendo, vel minuendo, prov t in originalibus prælibatorum Dominorum Noſtrorum, tranſmiſſis ipſi D. Capitaneo inueni. In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui currentibus Annis à Natiuit. Domini N. I. C. 1477. Indictione decima tempore Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ Quarti die decima Menſis Februarij.

In Chriſti Nomine Amen. *Infraſcriptum eſt quoddam Statutum, ſiue Decretum conditum, & reformatū per Illuſtriſſimos Principes, & Excellentiſſimos Dominos, Dominos noſtros, Dominos Bonam, & Ioannem Galeat. Mariam Sfortiam Vice Comites Mediolani, Duces Papię, Anglerięque Comites, ac Genuæ, & Cremonæ Dominos, Contra parentelas facientes, coadunationes cum armis in Terra Cutignolæ, & eius Iuriſdictione, ac tranſmiſſum per pręlibatos Dominos Dominos Noſtros, vna cum literis Ducalibus in illis introcluſum, directiuis ſpetiali, & Clariſſimo legum Doctori Domino Blaſio de Panizonibus de Alexandria honorab. Capitaneo Terræ Cutignolæ, & eius pertinentiarum &c. Et deſcriptum, inſertum, ac regiſtratum vna cum dictis literis Ducalibus in prę ſenti volumine Statutorum per me Alexandrum de Benciuennis Notarium infraſcriptū de mandato, & commiſſione pręfati Domini Capitanei; Nec non cridatum, publicatum, & proclamatum per Sandrum Barellam publicum Plazarium Communis Cutignolæ ſuper plateam publicam apud Turrim Horologij, ſono Tubæ præmiſſo, vt moris eſt, me Alexandro Notario prædicto præſente legente, & vulgarizante in prę ſentia plurium perſonarum fide dignarum, ſub die 20. Februarij Anni 1477. Quarum litterarum tenor ſequitur, vt infra, Videlicet.*

BONA, ET JOANNES GALEAT. MARIA SFORTIA Vice Comites, Duces Mediolani.

D*Ilecte noſter.* Cum ex quacunque leui cauſa homines iſtius noſtræ Terrę Cutignolę ſtatim ad arma decurrant, & vindicari minimas offenſas perſæpè quærant, & Cognatos, Agnatos, Affines, Amicoſque ſemper in auxilium vocent; Pro omnium quiete, tempeſtiuum nobis eſt viſum condere

incluſum Statutum contra eos, qui ſumunt Arma, quod ad vos mittimus; Mandantes, vt in volumine aliorum Statutorum iſtius Communis exſcribi, & inſeri, nec non ab omnibus obſeruari faciatis, & ſucceſſores in officio veſtri obſeruari faciant; in contrarium facientibus non obſtantibns quibuſcunque.

Mediolani die 24. Ianuarij 1477. *Signatum.*

Cicchus.

A tergo verò dictarum literarum.

Nobili, ac Sapienti Doctori Domino Blaſio de Panizonibus Capitaneo Noſtro Cutignolæ dilecto.

De prohibitione leuationis Armorum, & Adunationis Parentelarum per offenſos, vel offendentes. Rubrica XXXV.

QVoniam propter calliditatem Attinētium ſępenumero oriuntur altercationes, & quæſtiones in Terra noſtra Cutignolæ, & ij, qui ſunt de paruo Parentato interdum opprimūtur, & iniuriantur per illos, qui ſunt de magno Parentato, & Terra ipſa Noſtra Cutignolæ pro dictis altercationibus, rixis, & quæſtionibus patitur damnum, & deducitur in diſcordiam, & partialitatem; Volentes prouidere, vt dictæ altercationes, rixæ, & quæſtiones ceſſent, & vnuſquiſque de quolibet parentato diſcat viuere ciuiliter, pacificè, & quietè, ſtatuimus, & ordinamus, ſi acciderit, vt aliquis de quouis parentato iniuriauerit aliquem de alio parentato cum verbis iniurioſis, vel fęcerit quæſtionem, rixam cum aliquo de alio parentato, vt Parentes, & Attinentes illius iniuriati, vel offenſi, non audeant, nec præſumant leuare Arma pro ſuo dicto Attinente iniuriato, vel offenſo, nec ſe adunare, nec vnionem, aut adunationem facere cum armis pro dicto Attinente, nec iniuriam, vel offenſionem, factam dicto ſuo attinenti vendicare; niſi iuſtitia mediante, & iure permittente, ſub pœna librarum quinquaginta bonoñ. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice; Remanentibus etiam ſemper firmis alijs pœnis iuris Statutorum, & Decretorũ, in quibus etiam mulctentur, & puniantur, & mulctari, & puniri debeant, ſi fuerit contrafactum, & ei, qui fecerit talem iniuriam, vel rixam, & quæſtionem, ſit pœna, vltra pœnas dictorum Statutorum, Decretorum, & Iuris; Si fuerit cum verbis, librarũ quindecim bonon. pro qualibet vice; Si verò fuerit de inſultu, librarum viginti quinque bonon. Si verò cum effuſione ſanguinis, librarum centum bonon. Si de mutilatione membri, vltra pœnas dictorum Statutorum, Iuris, & Decreti, ducatorum centum auri; Si verò fuerit de homicidio, ſit pœna capitis, & confiſcationis omnium ſuorum bonorum, legitima reſeruata filijs, vel liberis dicti homicidiarij: Et verſa vice attinentes, iniuriantes, vel offendentes, nõ audeant, nec præſumant leuare arma pro dicto ſuo attinente, nec ſe adunare, nec adunationem facere cum armis ſine licentia Domini Capitanei, qui pro tempore fuerit in ipſa Terra noſtra Cutignolæ; qui tamen nõ poſſit concedere licentiam; niſi pro adunatione ſine armis, & pro concordia facienda, ſub pœna, vltra alias pœnas à iure,

vel . . atutis, aut Decretis impoſitis librarum centum bonon. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & quilibet Caporalis, Patronus, & Gubernator familię, ſi ſciuit, & prohibere potuerit, teneatur, & obligatus ſit pro omnibus de eius domo, & familia, pro ſupraſcriptis omnibus pœnis pecuniarijs, ſi fuerit contrafactum.

Et ego Alexander filius Prouidi Viri Seuerij de Benciuenis de Cutignola publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, ac Iudex ordinarius, & Not. ſpecialiter ad prædicta electus; & deputatus per præfatum Dominũ Capitaneum, & de eiuſdem D. Blaſij Capitanante dicti commiſſione, & mandato ſubſcriptum ſtatutum, ſeu decretum, & dictas litteras Ducales, pro vt in originalibus inueni, fideliter exemplaui, nil addendo, vel minuendo, & in præſenti Volumine Statutorum deſcripſi, inſerui ac regiſtraui. & in fidem omnium pręmiſſorum me ſubſcripſi. ſignumque meum conſuetum appoſui, currentibus Annis à Natiuitate D. N. I. C. Milleſimo Quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo; Indictione decima, tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papę Quarti, die 22. Menſis Februarij.

In Chriſti Nomine Amen. *Infraſcriptæ ſunt nonnullæ literæ Ducales directiuæ Mag. ac Iuris vtriuſque Conſulto, D. Antonio Buchiarino Ciui Cremonenſi, ac Terræ Cutignolę Capitaneo pro Illuſtriſſimis Principibus, & Excellentiſſimis Dominis, Dominis Noſtris, Domina Bona, & Ioanne Galeat. Maria Sfortia Vicecomitibus, Mediolani Ducibus, &c. Ac etiam directiuæ Hominibus de Conſilio Terræ prædictę Cutignolæ, emanatęque à præfatis Illuſtriſſimis Dominis noſtris, & poſitę, inſertæ, ac regiſtratæ in pręſenti volumine Statutorũ per me Alexandrum filium Seuerij de Benciuenis Notarium pub. dictę Terrę; nec non Not. Communis Terrę prędictę Cutignolę, de mandato, & commiſſione præfati Domini Capitanei, nec non dictorum Hominum de Conſilio, Quarum litterarum tenor ſequitur, Videlicet.*

DVCES MEDIOLANI &c.

Dilecti Noſtri, &c. *Sier Pietro de gli Andrioli voſtro meſſo, inter cætera, ci hà ſupplicato, che vogliamo eſſer contenti, che li Capitanij noſtri di quella Terra, in futurũ ſijno in fine officij ſindicati, ſecondo la forma delli Statuti voſtri per quelli, che la Communità deputerà à tale ſindicato: Ve dicemo, che ſiamo contenti, che ſijno ſindicati per il ſucceſſore loro al Capitaneato, inſieme con vn huomo della Terra, il quale deputerà il voſtro Conſiglio, che ſia di buona diſcretione, e modeſtia;* & ita per præſentes Vobis cõcedimus: *In le altre parti della commiſſione ſua intenderete dal Noſtro Capitano, & da eſſo Sier Pietro la eſpeditione, che riporterà da Noi. Dat. Mediolani die 14. Martij 1479.*

A tergo verò dictarum litterarum.

Prudentibus Viris Maſſario, Procuratoribus, & Cõmuni Terrę noſtrę Cutignolae Dilectis.

Tenor verò aliarum litterarum Ducalium ſequitur.

DVCES

Digitized by Google

origin ... andato, & commiſſione Mag. & Clariſſimi Iuris Vtriuſque Doctoris D. Nic... de Sauno Ciuis Piſaurenſis, & Capitan. honorab. prædictæ Terræ Cutignolæ, &c. Fideliter exemplaui, & in præſenti volumine Statutorum inſerui, & deſcripſi, appoſui, & regiſtraui: In quorum omnium fidem, & teſtimoniũ me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui, Currentibus Annis à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1482. Indictione decima quinta, tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Sixti diuina prouidentia Papæ Quarti. die ſeptima Menſis Nouembris.

...iteræ Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini noſtri Ducis ...& Clariſſimo I. V. D. Domino Ludouico Pacharino Capi...nolæ pro confirmatione Conſilij hominum xxxv. Terræ ...or ſequitur, Videlicet.

DVX MEDIOLANI, &c.

Dilecte Noſter. Per la voſtra del primo di queſto, n'è ſtato ſanamente dichiarato, quanto hauete fatto in ſtabilire il nuouo modo di gouerno, introdotto già doi anni paſſati, di xxxv. huomini per il bene di quella noſtra Communità; della qual coſa, ſi come hauemo preſo diſpiacere di quelli che hanno cercato turbarla; così reſtiamo con grande contentezza, eſſendo communi conſenſu, firmata, e ſalda, come ne ſcriuete; Però, lodando Noi ſommamente quanto è concluſo, come coſa, quale ne pare meglio tendere à l'vniuerſale quiete, e bene de' tutti, confirmamo, & approbamo tale Conſiglio del numero delli xxxv. E così vi commettemo prouediate, ſia ſeruato inuiolabilmente. Datum Cuſagi die 9. Julij 1488.

Signata, &c. B. Chalcus.

A tergo verò dictarum litterarum.

Egregio Doctori Capitaneo Cutignolæ Noſtro Dilecto.

Ego Franciſcus filius diſcreti Viri Silueſtri Baronzani de Zaganellis de Cutignola publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, nec non Iudex ordinarius, & ad preſens Notarius Banci iuris dictæ Terræ Cutignolæ, & Curiæ prędictæ Domini Capitanei, & Commiſſarij ſupradicti, literas Ducales, ex commiſſione, mihi facta per Præfatum D. Capitaneum, &c. fideliter ſcripſi; regiſtraui, & aſſumpſi de verbo ad verbum, pro vt in originalibus dictarum literarum inueni, nil addendo, vel minuendo, certamquè particulam, in dictis literis cõtentam, quæ ad propoſitum non faciebat, de mandato Præfati D. Capitanei, &c. omittendo, & relaxando. In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumq; meum conſuetum appoſui: laus Deo currentibus Annis D. N. I. C. 1488. Indictione ſexta tempore Domini Innocentij Octaui. Die ſexta Menſis Septembris.

Inferius continentur quædam litteræ Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini, Domini Ludouici Mariæ Sfortiæ Ducis Barri, &c. ac Status Mediolani, generalis Gubernatoris pro Illuſtriſſimo Principe, & Exellentiſſimo D. D. Joanne Galeat. Maria Sfortia Duce Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comite, &c. ac Genuæ, & Cremonæ Domino, & Domino noſtro,

cum

A*D æternam rei memoriam.* Humanum fœdus, quod fraterna primum violauit Inuidia, excreſcente in dies mortalium ambitione, & auaritia; niſi leges, quibus malorum hominum audatia refrænatur, latę fuiſſent, & Principes, & Magiſtratus, qui illas exequerentur, creati, conſeruari diutius nequiuiſſet. Inde Regum officium originem habuiſſe, manifeſtiſſimum eſt, vt pace, & concordia populos, Vrbeſque (iuſtitia mediante) continerent, & eo pacto Imperia ſua ſtabilirent. Vnde Diuino ſpiraculo Reges ipſi, & qui terram iudicant, Iuſtitiam [illegible]mentur diligere, quam qui deſerit, Deo fit diſſimilis, & Regio nomine in[illegible]es, ſine qua illa Vrbes, & Regna latrocinia nuncupantur. Nos igitur attendẽtes, Dictos Prędeceſſores noſtros Francorũ Reges pręceteris Principibus illam ſummopere coluiſſe, & illius cultu, atque obſeruantia ſuum, & ſolidaſſe Imperium, & auxiſſe; indeque maximam apud omnes exteras Nationes gloriam reportaſſe: Volenteſq; eorum veſtigia, quantum poſſumus, imitari, cum nuper Ducatum, & Statum Mediolani cum ſuis omnibus pertinentijs, ad nos hęreditario iure ſpectantem, Diuina potiùs diſpoſitione, quàm humanis Viribus, fuerimus aſſequuti: Illum iuſtitiæ tramite magis, quàm militum noſtrorum robore regere, conſeruare, & augere Diuinis auſpicijs conſtituimus. Verùm animaduertentes, nos in dicta Mediolanenſi Prouincia continuè non poſſe reſidere; ſed pro Regni noſtri, & aliarum Prouinciarum, Imperio noſtro parentium, neceſſitatibus, ad alias noſtræ Ditionis Prouincias nos eſſe quandoque tranſituros, impoſitum nobis onus exequi toto conatu geſtientes ad Dei immortalis, cuius beneficio tot Populis, & Nationibus præfecti ſumus gloriam; Ducatuſque, & Status noſtri Mediolanenſis, ac ſubditorum noſtrorum Citramontanorum pacem, quietem, & tranquillitatem perpetuo Edicto, & inuiolabili Decreto omnia, & ſingula, in his noſtris literis contenta inferiùs, ſtatuimus, ordinamus, & hac lege perpetuò valitura, ſtabilimus.

In primis quod in dicto Ducatu noſtro, & Dominio Mediolanenſi Locumtenentem vnum habebimus Virum nobilem, Equitem ſtrenuum, & militari diſciplina præditum, & ex nunc creamus, deputamus, & ordinamus Dilectum, fidelem, conſanguineum, & Conſiliarium, ac Cambellanum noſtrum Ioannem Iacobum de Triultio Militem, Comitem Peſantiæ, Maleſcalcum Franciæ, cuius fidem, prudentiam, ſtrenuitatem, ac ſummam integritatem ex plurimis rerum argumentis perſpectam habemus, cui in concernentibus bellum armorum expeditionem, Ciuitatum, Oppidorum, & aliorum conſeruationem, & defenſionem, plenariam poteſtatem vice noſtra relinquimus; poteritque idem Locumtenens ſuper prædictis, quoties ſibi videbitur, expedire, cum Senatu noſtro Mediolani, inferiùs ordinando, communicare, vel quos voluerit ex Senatoribus noſtris dicti Senatus, & de Capitaneis noſtris ad ſe vocare, & ſuper concernentibus præmiſſa, dum, & quando erit extra Ciuitatem Mediolani man-

data, & literas patentes ſuo proprio nomine; & tanquam Locumtenens noſter Generalis decernere, & conficere, & de negotijs, & cõtrouerſijs, ſupra deſignatis, ſuper quibus non erit alius Iudex ordinarius deputatus, cognoſcere, vel cauſas cognoſcendas alijs committere, provt bonum ſibi videbitur. Ordinamus itaque, ac præcipimus omnibus noſtris Capitaneis, Militibus ſtipendiatis, armigeris, tam Equitibus, quàm Peditibus, Officiarijs Ciuitatum, & alijs inferioribus quibuſcunque; quatenus præfato noſtro Locumtenenti ſuper præmiſſis, & ex eis deſcendentibus, ſiue dependentibus indubiè, & ſine difficultate pareant, obediantque veluti Nobis.

Ordinamus inſuper, quòd in dicto Ducatu, & Dominio noſtro Mediolani ſit vnus Cancellarius Vltramontanus, qui caput, & Pręſidens Senatus noſtri, & iuſtitię noſtrę habebitur, & cui cuſtodia ſigillorũ noſtrorũ cõmittetur, alijſq; honoribus, & pręrogatiuis, quibus Cancellarij noſtri Francię vtuntur in dicto Dominio noſtro potietur; Ad quod quidem officium præſentium tenore creamus, deputamus, & ſtabilimus Dilectum fidelem Conſiliarium noſtrum Magiſtrum Petrum de Sacurges Epiſcopum Lucionenſem; qui erga Nos, & Chriſtianiſſimos Prædeceſſores noſtros Francorum Reges plurima, & maxima ſuę probitatis, fidei, prudentiæ, virtutis, & integritatis præbuit experimenta.

Et quia temporibus retroactis duo fuerunt in Ciuitate noſtra Mediolañ, vnum ſecretum, & aliud Iuſtitiæ, ordinaria, quæ ferè eandem habebant auctoritatem; exiſtimantes, multiplicitatem Magiſtratuum non neceſſariorũ Reipub. vtilem minus fore, vnicuique conſilium ad omnia, quæ vtrique ſupradictorum Conſiliorum incumbebant, onera ſufficere reipublicæ noſtræ conſulere, officiorũque multitudinem reſecare in noſtrum, ſubditorumque noſtrorum ſubleuamen cupientes, ſtatuimus, & ordinamus hoc edicto, quod de cœtero erit in dicto Dominio noſtro Mediolani vnicum ſupremum Conſilium, qui Senatus, iuxta veterum morem, appellabitur, in quo dictus Cancellarius præſidebit.

Erunt pręterea decem, & ſeptem Conſiliarij, ſeu Senatores, quorum duo erũt Prælati quatuor erunt Militares; cœteri verò vndecim erunt Viri electi, Docti, Graduati; Quinque illorum Vltramontani, & ſex Citramontani, quos ex nunc harum tenore creamus, & cõſtituimus ſecundùm ordinem infraſcriptũ V. Dilectos fideles noſtros Magiſtros Antonium de Triultio Epiſcopum Comenſem, & Hieronymum Palauicinũ Epiſcopũ Nouarienſem, Petrũ de Galerate, Franciſcũ Bernardinum Vice Comitem, Gilbertum de Borromeis Comitem, & Araſmum de Triultio Milites, Claudium de Seyſello in Magno Conſilio noſtro, & parlamento Tholoſano Conſiliarium noſtrum, Scipionem Barbauariam, Accurſium Itinerij in dicto Magno Cõſilio noſtro, etiam Conſiliariũ, & Prouincię maiorem Iudicẽ; Ioannem Franciſcũ de Marliano, & Michaelem Ricciũ etiam in Cõſilio noſtro Magno, & in Parlamẽto Burgundię Conſiliariũ noſtrũ; Ioannem Franciſcum de Curte, Iafredũ Caroli Cõſiliariũ noſtrũ in Parlamẽto Dalphinali; Ioannem Stephanũ de Caſtiliono; Hieron. de Cuſano, & Antonium Cacciã I.V.D. & hoc cũ, & ſub ſtipẽdijs per nos particulariter illis in Rotulo ſuper hoc cõficiendo

taxandis,

taxandis,& ordinandis,& cum alijs Priuilegijs, pręeminentijs, Pręrogatiuis, immunitatibus, Libertatibus,franchiſijs,& cõmodis, quibus Conſiliarij noſtri Cõſilij Magni, & Parlamentorum noſtrorum Francię, ac dicti Ducatus noſtri gaudent,& fruuntur,& antehac frui,& gaudere conſueuerunt; Ita tñ vt cum primum vnus, tam dictis duobus Prælatis, quàm ex dictis quatuor Militaribus Viris deceſſerit, aut aliter eorũ officia vacauerint,ſint illa duo officia extincta, & ſuppreſſa, nec alij poſſint in eorum locum ſubrogari; ſed tm̃ vnus Pręlatus, & tres Viri Militares remaneant. Erunt ipſi etiam Senatores omnes, officiarij perpetui, nec poterunt quouis pacto ab eorum officijs per dictum noſtrum Locumtenentem, vel Senatum, vel alium remoueri ſine cauſa legitima, cuius cognitio, & declaratio ad ipſum Senatum noſtrum pertinebit.

Item, quòd quotieſcunque aliquod dictorum officiorum præfatorum Conſiliariorum, ſeu Senatorum noſtrorum Citramontanorum per mortem, delictum, aut aliter vacare contigerit, iuramento priùs per cæteros Senatores de eligendo tres, quos cognouerint magis idoneos ad tale Officium obtinendum in manibus Cancellarij, vel Præſidentis immediatè ſequentis, ſolemniter pręſtito, eligent dicti Senatores noſtri tres, quos ad tale officium magis ſufficientes, & idoneos eſſe cognouerint, & electionem, ſeu nominationem, ſic per eos factã, nobis tranſmittere tenebuntur; Noſque vnum ex ſic nominatis, & electis ad dictum ſenatoriũ officium cõfirmabimus,& deputabimus, qui dicto Senatui noſtro literas noſtras ſuæ confirmationis, & collationis dicti officij tenebitur præſentare; Et deinde priuſquam ad dicti officij exercitium admittatur, in pręſentia totius Senatus pręd dicti, & in manibus in eo Pręſidentis præſtare, quòd pro dicto officio per ſe, vel per interpoſitam perſonam dedit nemini, vel promiſit, ſeu promitti fecit pecuniam, vel aliam rem æquiualentem; & ſi aliquam pecuniam, vel rem æquiualentem per ſe, vel interpoſitam perſonam reperietur donaſſe, aut promiſiſſe directè, vel indirectè, Volumus, & ordinamus, ipſum à dicto officio repellendum,& arbitrio præfati noſtri Senatus illum puniendum: In iſta tamen nominatione,& electione officium Cancellarij præfati intelligimus minime comprehenſum: Idemque de officijs Senatorum Vltramontanorum iuxta numerum pętaxatum, quæ cum tempus vacationis occurrerit, plenarie noſtrę diſpoſitioni reſeruamus abſque aliqua nominatione.

Volumus etiam, quòd, aliquo ex dictis Senatoribus noſtris togatis abſente, vel in totum deficiente, alius immediatè ſubſequens, & eo abſente, vel etiam deficiente, alius ſubſequens; & ſic deinceps eiuſdem nationis locum talis deficientis,vel abſentis obtineat,& ſucceſſiuè,ac gradatim; cæteriq; ſubſequentes locum alienũ vt pręmittitur, aſcendentium; Itaque ille, qui de nouo in locum deficientis creabitur, nouiſſimum locum inter cæteros de ſua Natione conſequetur: Et idem in Militaribus Viris volumus obſeruari.

Et quoniam eos, qui retroactis temporibus in dictis Conſilijs Secreto, & Iuſtitię locum obtinebãt non ob aliquam eorum culpam,vel defectum,ſed ad numerum refrænandum,quem determinatum eſſe volumus, excluſos eſſe oportuit:

volumus, & declaramus, vt dum aliquod ex eis ſupererint, & locus vacationis in perſona alicuius, & Senatoribus noſtris Citramontanis ſit, nõ poſſint alij, pręter Antiquos dictos Conſiliarios ad dicta officia vacantia nominari, vel eligi: Et nihilominus ipſos omnes Antiquos Cõſiliarios interim omnibus Priuilegijs, honoribus, prærogatiuis, præeminentijs, & commoditatibus, quibus antea gaudebant, vti, gaudere, & frui volumus, quoad viuent. Poterunt inſuper dictum Senatum noſtrum, quoties per dictum Cancellarium, vel alium Præſidentem vocabuntur, intrare, & in omnibus actibus, & ſeſſionibus publicis poſt dictos Senatores numerarios cœteris anteferri, & vlteriùs quoties aliquis actus iudiciarius, aut extraiudicialis per aliquem Senatorem noſtrum fieri debebit, in defectum dictorum numerariorum per dictos Antiquos Cõſiliarios, ſeu Senatores talis actus poterit explicari, nullique alij debebit committi.

Volumus prȩterea, & ordinamus, præfatos Senatores noſtros, ſic in Senatu noſtro ordinatos, in dicta Ciuitate Mediolani reſidentiam facere, vt ſua valeant officia exercere, & ſubditis noſtris, provt eis confidimus, iuſtitiam miniſtrare. Quem quidem Senatum poterit dictus noſter Locumtenens, quoties voluerit, intrare, ac etiam Magiſtri noſtri requȩſtarum, & Conſiliarij ordinarij magni Conſilij noſtri, quotieſcunque eos in dicta Ciuitate, vel Dominio Mediolani, vbi dictus Senatus reſidebit, adeſſe contigerit.

Quantum autem ad alia officia Iudicaturȩ, quæ ſunt dicto Senatui noſtro inferiora, & ſubalterna, provt ſunt Capitanei Iuſtitiæ, Poteſtates, Vicarij, & Commiſſarij Ciuitatum, & Oppidorum, Iudices, Conſules, & alij ſimiles temporalia, ſeu perpetua, quæ temporibus retroactis per Duces Mediolani ſolebant conferri, ſeu donari, quotieſcunque aliquod prædictorum Officiorum vacare contingeret lapſu tẽporis, vel aliter; volumus, dictos Senatores noſtros iuramento priùs iuxta formam ſupradictam in manibus Cancellarij, vel alterius in dicto Senatu præſidentis per eos præſtito, procedere ad electionem trium Virorum, quos cum eorum conſcientiæ cognouerint ſufficientes ad tale officium obtinendum pro bono noſtro, & ſubditorum, quam nominationem, ſic factam, & in ſcriptis redactam habebunt dicto Locumtenenti noſtro generali præſentare, qui vnum de tribus, ſic nominatis, ſine mora tenebitur acceptare, & illo, ſic acceptato, dabuntur, & expedientur literæ nomine noſtro, & ſigillo noſtro per dictum Cancellarium ſigillarȩ, tenebiturq; dictus officiarius iuramentum in manibus dicti Cancellarij, vel alterius Præſidentis, vt ſupra, præſtare, quòd per ſe, nec per alium pro dicto officio obtinendo aliquam pecuniam, vel aliquam rem æquipollentem donauit, ſeu promiſit, & iuramento, ſic per eum priùs præſtito, tenebitur poſtmodum iterum iurare, quòd bene, & legaliter dictum officium exercebit iuxta naturam officij, & ſecundùm formam conſuetam.

Item eidem Senatui noſtro damus, & concedimus per præſentes poteſtatem, ſeu auctoritatem Decreta noſtra Ducalia confirmandi, & infirmandi, & dandi omnes quaſcunque diſpenſationes Statutorum, & Ordinationum confirmationes, habilitationes, temporum prorogationes, & in integrum reſtitutiones, &

omnes

omnes alias prouiſiones Iuſtitiæ in dicto Ducatu noſtro Mediolanenſi, & alijs Terris, ab eo dependentibus, ac in toto Dominio noſtro Aſtenſi.

Poterit etiam dictus Senatus noſter contra Statuta Ducalia, Curiarum ſtilum diſpenſare, Lecturis Vniuerſitatis Papienſis, pro vt expedierit, prouidere; Rotuloſque legentium, & ſtipendiorum ſuorum confirmare, vel reformare, & cœtera alia facere, quæ prædicta Conſilia, Secretum, & Iuſtitiæ, Mediolani ordinata, ante hac facere conſueuerunt. Et cognoſcet dictus Senatus de cauſis arduis inter ſubditos noſtros prædicti Dominij: Vt puta Comitatuum, Marchionatuum, & quorumcunque Fœudorum nobilium, quando erit quæſtio inter nos, & noſtros Vaſſallos, ſeu inter ipſos Vaſſallos; nec non de omnibus alijs cauſis magnis, quoties res, de qua agetur, erit, & aſcendit vſque ad ſummam mille ducat. in annuo redditu, & ſupra; & etiam de cauſis per Nos, & Cancellarium noſtrum illi ſpecialiter commiſſis, & alijs, de quibus per appellationem, vel alias dicta Conſilia, Secretum, & Iuſtitiæ retroactis temporibus cognoſcere conſueuerunt; Nec non de cauſis appellationum, à ſententijs definitiuis, vel interlocutorijs vim definitiuarum obtinentibus, quæ per Magiſtros intratarum noſtrarum proferentur, exceptis his, quæ ſuper circulo ferentur, à quibus nolumus appellari. Item, & de cauſis appellationum dicti Dominij Aſtenſis, quæ ad nos deuoluuntur, & deuolui conſueuerunt ſine præiudicio ſeparationis olim factæ: cognoſcet vlteriùs dictus Senatus de verificatione, & determinatione literarum noſtrarum, Donorum, remiſſionum, indulgentiarum, priuilegiorum, ordinationum, & edictorum, tam Iuſtitiam, quàm politiam cõcernentium, quę quidem literę omnes ſupradictę; niſi priùs fuerint in dicto Senatu noſtro præſentatæ, interminatę, & verificatæ, nullius firmitatis, effectus, vel momenti eſſe poterint, eaſque, tam conceſſas, quàm concedendas, decernimus per pręſentes irritas, & inanes.

Habebit præterea dictus Senatus curam, & ſuperintendentiam ſuper omnes officiarios iuſtitiæ, tam temporales, quàm perpetuos, & poterit illos punire, ſuſpendere, priuare, & corrigere ſecundùm caſus exigentiam, & pro vt dicto Conſilio videbitur, & prouidebit de Syndicatoribus iuxta ſolitum.

Pręterea ordinamus, & perpetuo Edicto declaramus, vt Sententiæ Decreta, ordinationeſque proferendæ, & proferenda per dictum Conſilium noſtrum ſuũ ſortiantur effectum, & tanquam ſententię, ſeu Arreſta, curiæ ſupremæ, à quibus appellari, ſeu prouocari non poteſt, nec de eorum nullitate dici, executioni mandabuntur, & tenebitur dictus Locumtenens, cœterique officiarij noſtri Ducatus, & Dominij illa facere exequi, & ſimiliter alias prouiſiones, dandas per dictum Conſilium, & ſuper his manũ fortem concedere, ſi opus ſit; Et ſimiliter officiarij Dominij noſtri Aſtenſis in his, quæ eos modo præmiſſo concernent, poterint condemnati per dictum Senatum infra terminum iuris ſupplicare, recurrere, & reuiſionem proceſſus petere contra dictas ſententias, ſeu Arreſta, & pariter priùs iudicato ſuper dicta ſupplicatione, vel recurſu à Cancellario noſtro literas remiſſionis impetrare, quas dicto Senatui tenebitur præſentare; Et deinde priuſquam ad dictam reuiſionem procedatur, deponere, & conſignare ſummã

ſexaginta

ſexaginta Ducatorum auri in manibus vnius ex Secretarijs dicti Senatus, vel alterius, per dictum Conſilium deputandi, Cameræ noſtræ Ducali, caſu, quo dictus ſupplicans ſuccumbat, irremiſſibiliter applicandá, Quo Depoſito facto tenebitur dictus Senatus noſter infra vnius anni ſpacium dictum proceſſum reuidere, & denuo, prout iuſtum fuerit, iudicare, reiectis his, quos ex cauſa legitima, altera partium inſtante, ſuſpectos eſſe cognouerit, & alijs in eorum locum, ſi opus fuerit, ſubrogandis.

Volumus etiam, & ordinamus, quòd in dicto Senatu noſtro teneatur Cancellarius, ſeu alius Præſidens in eius abſentia concludere, materia ſufficienter diſcuſſa à pluralitate vocum, & opinionum.

Volumus vlterius, quòd dictus Senatus habeat litigationibus cauſarum, expeditionibus ſupplicationum, & alijs negotijs occurrentibus vacare duabus horis de mane, & duabus poſt prandium diebus non feriatis in honorem Dei horis congruentioribus, & provt per eos pro meliori fuerit deliberatum, quòdque ipſe Senatus ſententias, ordinationes, Decreta, cœteraque alia ſua ordinamenta ſub nomine noſtro faciat, & expediat.

Statuimus prꝫterea, vt prouiſiones ordinandæ ſuper ſupplicationibus, quæ in dicto Senatu noſtro per ſubditos noſtros porrigentur, referantur, expediantur, & ſubſignentur per vnum ex dictis Senatoribus, ſecundùm quam expeditionem, Secretarij habebunt literas expedire, & ad Cancellariam noſtram deferre.

Item, & ad tuendum, & iura noſtra defendendum, volumus, & ordinamus, quod in corpore dicti noſtri Conſilij, habeamus vnum Procuratorem, & vnum Aduocatum, Fiſcales Viros in Iure doctos, & literatos à nobis debitè ſtipendiatos, quos ex nunc deputamus, Videlicet ad officium Aduocationis dilectum noſtrum Magiſtrum Hieronymum Morenum; Ad officium verò Procurationis Magiſtrum Ioannem de Birago Iuris Vtriuſque Doctores, ad quorum officia, cú locus vacationis contigerit, nominabuntur per dictos Senatores noſtros tres nobis præſentandi, & per nos confirmandi, iuxta ſuperius declarata: Qui tamen non intrabunt dictum Senatum, niſi vocati, aut pro negotijs noſtris proponendis horis congruis, & per ipſum Senatum eis ordinandis.

Erunt etiam in corpore dicti Senatus noſtri quatuor Hoſtiarij ſalariati expenſis noſtris, quorum officia ad præſens etiam, & cum tempus vacationis euenerit, ad collationem prꝫdicti Cancellarij noſtri, & ſuorum in dicto officio ſucceſſorum relinquimus; & idem de hoſtiarijs Magiſtrorú intratarú noſtrarú concedimus.

Item, quo ad Cancellariam, ſtatuimus, & ordinamus, quòd in dicta Cancellaria noſtra erunt decem Secretarij, per nos ordinandi, qui in cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus proceſſus, acta, ordinationes, & appuntamenta dicti Conſilij conficient, & ſubſcribent, & vlterius ſignare habebunt omnes literas deliberatas, & ordinatas per dictum Cancellarium, qui tenebit dictum ſigillum, & per Conſiliarios cú eo deputatos, poſtquam dictæ literæ fuerint in cauda per alterum Conſiliariorum ſubſignatæ: Duoque ex ipſis acta, proceſſus, literas, & alia, quæ in auditorio Magiſtrorum intratarum noſtrarum fient, ordinabuntur,

&

& erunt neceſſaria, conficient, & ſubſcribent, & tenebuntur dicti Secretarij ante dictorum ſuorum officiorum exercitiũ in manibus præfati cancellarij iuramentum ſolemniter præſtare ſecundùm qualitatem, & naturam ſuorum officiorum, & qui ſibi parebunt, & obedient tanquam eorum Iudici, & immediato Superiori, & ex nunc ad dicta officia ordinamus dictos noſtros Magiſtros Bartholomęũ Calchum, Petrum Mangeurey, Coſtantium Ferrerij; Petrum Garboti; Angelum Sacchum, Dominicum de Grandis; Philippum de Comite; Ioannem Maynum; Iulium Cataneum Notarium intratarum ordinariarum, & Ioannem Mollem Notarium intratarum extraordinariarum; Ordinamus præterea, quòd dicti Secretarij tenebuntur, & iurabunt ſignare dictas literas, quas compoſuerint, & tam expeditas per Senatum, quàm Cancellarium abſque eo, qui aliquod à partibus occaſione dictæ ſignaturæ accipiant.

Statuimus præterea, & ordinamus, quòd dicti Secretarij, qui eorum officia in dicta Cancellaria exercebunt, quolibet menſe habebũt Burſas ſuper emolumento dicti ſigilli, per manus Audientiarij diſtribuendas, pro vt in Cancellaria Franciæ hactenus fuit obſeruatum; & hac de cauſa in dicta Cancellaria ordinamus vnum Audientiarium, & vnum contra Rotulatorem, ſeu Scriptorem ex numero dictorum Secretariorum & ex nunc ordinamus dictũ Petrum de Mangeurey Audientiarium, & Contrarotulatorem, ſeu ſcriptorem dictum Petrum Garboti, qui recipient, & contrarotulabunt, ſeu conſcribent emolumentum, & pecunias procedentes ex dicto ſigillo, qui de illis tenebuntur computum, & rationem reddere coram dictis Magiſtris intratarum, prout in Cancellaria Franciæ fuit hactenus obſeruatum.

Erunt etiam in dicta Cancellaria duo Sigillatores, qui habebunt ſalaria, & ſtipendia, provt per dictum Cancellarium, & Conſiliarios in dicta Cancellaria modo, quo infra deputatos, fuerit ordinatum, & collatio dictorum officiorum ad præſens, & cum locus vacationis contigerit Cancellario prædicto, & ſuis ſucceſſoribus pleno iure pertinebit; ſimiliter, & collatio quorumcunque officiorum quorum ſtipendia ſummam viginti quinque Ducat. auri annuatim non excedent. Item volumus, & declaramus, quòd in dicta Cancellaria expediantur omnes literæ iuſtitiæ per dictum Conſiliũ, vt ſupra, decretæ. Concedet inſuper dictus Cancellarius omnes alias literas Iuſtitię, & Gratię, & remiſſiones, ſeu Indulgentias caſuum remiſſibilium, bannorum, carcerum infractiones, receptiones homagiorum, quæ recipientur per dictum noſtrum Cancellarium forma, & modo conſueto, confirmationes, Priuilegiorum, Inueſtiturarum, & ſimilium gratiæ conceſſionum, literas placitorias, ſeu promiſſorias pro exequendis Bullis Apoſtolicis, nec non literas collationis beneficiorum ex cauſa permutationis, vel ſimplicis reſignationis Vacantium, quorum collatio ad nos in prędictis caſibus, quoquomodo ſpectabit, & ſimiliter omnes, & quaſcunq; alias prouiſiones merę gratiæ; & vbi ſuper dictis prouiſionibus Iuſtitiæ aliqua difficultas oriretur, quæ fuerit facta per dictum Cancellarium, vel alterum ex Conſiliarijs aſſiſtentem, Cancellarius prædictus tenebitur conſilio remittere, vt ſuper illis maturius per

dictum

dictum Senatum iudicari, & ordinari poſſit, prout fuerit rationis; Et ſi aliquam falſitatem in literis noſtris, in dicta Cancellaria expeditis, committi contigerit, cognitio plenaria, & emolumentum confiſcationis, ſi locus ſit, ad dictum Cancellarium noſtrum pleno iure pertinebit, qui ſuper dicto crimine, & falſarium punire poterit, aut illi indulgere, quemadmodum Cancellarius Franciæ circa falſificantes literas noſtras facere conſueuit.

Ordinamus vlterius, quòd dictus Cancellarius dictam Cancellariam teneat, conuocatis ſecum quatuor ex dictis noſtris tam Vltramontanis, quàm Citramõtanis per dictum Cancellarium noſtrum eligendis, qui tanquam Magiſtri requęſtarum habebunt aſſiſtere, & literas, & prouiſiones ſecum iudicare, & pro eorũ vacationibus, ſtipendijſque dicti Conſiliarij habebunt quolibet menſe vnam Burſam in dicta Cancellaria; quæmadmodum Magiſtri noſtri requæſtarum in Cancellaria Franciæ habere conſueuerunt. Prohibemus igitur, & diſtrictius inhibemus, nè aliquæ perſonæ cuiusvis ſtatus, Gradus, aut conditionis exiſtant, præter dictum Cancellarium noſtrum, aliquod ſigillum, in quo arma, ſeu inſignia noſtra ſint inſculpta, conficiant, aut confici faciant, vel penes ſe habeant, ne literas aliquas ſub nomine noſtro ſigillent aut ſigillari faciant alio ſigillo, quàm apud dictum Cancellarium exiſtente, & de eius mandato; neque deinceps aliquo modo in quouis loco ſub nomine Conſilij noſtri cõueniant, aut prouiſiones aliquas, aut literas decernant, exceptis dictis Senatoribus noſtris, & illis, qui pro tempore in eorum locum ſucceſſerint, per modum ſuperiùs expreſſum, ſub pœna falſi.

Quę omnia, & ſingula per nos, vt ſuperiùs, Decreta, Statuta, & ordinata in vim Edicti perpetui, & conſtitutionis obſeruari volumus. Mandãtes prætεrea omnibus, & ſingulis Officiarijs, & ſubditis noſtris dictorum Ducatus, & Status Mediolani, & Comitatus Papiæ, ac Dominij Aſtenſis mediatis, & immediatis, præſentibus, & futuris ſub pœna indignationis noſtrę: Quatenus prædicta omnia, & ſingula, in literis noſtris promulgata, ſtatuta, & ordinata inuiolabiliter obſeruent, ac per quos expedierit, faciant obſeruari.

Mandantes inſuper Theſaurarijs noſtris, Magiſtris intratarum, & cœteris, ad quos ſpectabit: Quatenus dictis Conſiliarijs, ac cœteris Officiarijs noſtris ſuperiùs nominatis ſtipendia, & ſalaria, per nos eiſdem, & cuilibet ipſorum ſtatuta, & ordinata, ſine quauis difficultate perſoluant, eoſque libertatibus, franchiſijs, commodis, immunitatibus, præeminentijs, & priuilegijs quibuſcunque eis, aut alteri eorum, quoquomodo conceſſis, & debitis, & pertinentibus frui, & gaudere faciant, & permittant inconcuſsè, has in teſtimonium concedentes, quas ad perpetui roboris firmitatem manu noſtra ſignauimus, & ſigillo noſtro iuſſimus ſigillari. Datum Vigleuani die 11. Menſis Nouembris. Anno Natiuit. Domini M. CCCC. LXXXXIX. Et Regni noſtri ſecundo.

LOYS.

Per

Per Regem Ducem Mediolani in ſuo Conſilio Robertet. Viſa, lecta publicata, & regiſtrata in Senatu Mediolani. Die 15. Nouembris 1499. B. Calchus. Lecta, publicata, & regiſtrata in camera intratarum ordinariarum Mediolani 16. Decembris 1499. Biblia regiſtrata in libro nigro Voluminis Decretorum, & ordinum exiſtentium ad officium rationariæ Cameræ extraordinariæ, folio 799.

B. Calchus.

A tergo. Baptiſta Oprenus.

In Chriſti Nomine Amen. *Infraſcriptum eſt quoddam Statutum, Decretum, & ordinamentum, editum per Homines de Conſilio Terræ Cutignolæ; & confirmatum per Sereniſſimum, & Chriſtianiſſimum Regem Francorum, Neapolis, & Hyeruſalem, ac Mediolani Ducem, & Dominum noſtrum, & lectum in Conſilio ipſius Terræ Cutignolæ, & per ipſos homines de Conſilio admiſſum, & acceptatum viua voce, nemine diſcrepante, & per Mag. & Clariſſimum I. V. D. Dominum Hylarium Gentilem Tertonenſem hon. Capitan. ipſius Terræ Cutignolæ, prout latius conſtat in libro prouiſionum dictorum hominum de Conſilio, notatũ per Ser Vgolinum Gratianum Notarium Pub. dictæ Terræ, & ad præſens Not. & Cancellarium dictorum hominum de Conſilio, & regiſtrarum, & incorporatum per me Hieronymum Marotium Not. publicum dictæ Terræ in præſenti Volumine Statutorum ipſius Terræ, de mandato ipſius Domini Capitanei, & Hominum prædictorum de Conſilio. Cuius Decreti, & ordinamenti, ac literarum Regalium tenor ſequitur, vt infra; Et primo.*

LVDOVICVS, DEI GRATIA, FRANCORVM, NEAPOLIS, Hyeruſalem Rex, ac Dux Mediolani.

D*ilecti Noſtri.* Et ſi nunquam in dubio habuimus, q̃n dilectus, & fidelis noſter Magiſter Hylarius Gentilis Iureconſultus in iſto Capitaneatu noſtro officio benè, rectéq; ſe gereret; quippeq; de ipſo magno animi honore pluribus in muneribus periculum fecit, fuit tamen nobis pergratũ id literis veſtris intelligere: Eritq; officij veſtri; poſteaquam ipſum propenſum perſpicitis ad quietem, & commodũ iſtius Terræ, ſic ei aſſiſtentem, vt inuitetur ad meliora in dies cogitandũ, & peragendũ: confirmationem autem, quam petitis ſtatuti, per vos editi, quod his incluſum mittimus per exemplũ, ſignatũ per Iuliũ Secretariũ noſtrum libenter concedetis dicto Capitaneo noſtro, & vobis cõmittimus, vt illud, tanquam à nobis confirmatum publicari, & in volumine aliorum Statutorũ veſtrorum regiſtrari faciatis. Dat. Mediolani die 18. Februarij 1502. Et Regni Noſtri Quarto. *Signat.* *Iulius.*

A tergo. Dilectis noſtris Maſſario, Procuratoribus, & Hominibus Cutignolæ.

Tenor Decreti eſt, vt infra, Videlicet. Rubrica XXXVI.

STatuimus, & ordinamus, vt Capitaneus noſter Terræ Cutignolæ præſens, & qui pro futuro tempore erit, teneatur, & debeat in omnibus, & ſingulis cauſis excedentibus ſummam, & quantitatem ſolid. quadraginta bonon. &

aſcendentibus vſque ad ſummam, & quantitatem librarum decem bonon. & à dicta ſumma librarum decem infra incluſiuè, & deſcenſiuè vſque ad dictā ſummam ſolid. quadraginta procedere, ius,& iuſtitiam miniſtrare ſummariè de plano, ſine ſtrepitu,& figura Iudicij, ſola facti veritate inſpecta: In cauſis autem ciuilibus, non excedentibus ſummam prædictam ſolid. quadraginta, ſeruetur Statutum dictæ Terræ de illis diſponens. *Signat.*

Julius.

Ego Hieronymus filius Prudentis Viri Ser Joannis de Marotijs de Cutignola publicus Apoſtolica, & Jmperiali auctoritate Notarius, nec non Iudex ordinarius, & ad præſens Notarius banci Iuris dictę Terrę, de commiſſione, & mandato ipſius pręfati Domini Hilarij Gentilis Capitanei prædicti, & hominum de Conſilio dictæ Terræ, dictum Statutum, Decretum, & ordinamentum editum, approbatum, & confirmatum, vt ſupra, & prædictas literas Regias fideliter regiſtraui, exemplaui, & deſſumpſi à verbo ad verbum, nil addendo, vel minuendo pro vt in originalibus prædictæ Regię maieſtatis tranſmiſſis dictis Hominibus de Conſilio, vt ſupra, inueni: Jn quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui conſuetum. Currentibus Annis à Natiuitate Domini N. J. C. M D I I. Indictione quinta tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Alexandri diuina prouidentia Papæ Sexti.

In Chriſti. Nomine Amen. &c. *Jnfraſcriptæ ſunt literę Jlluſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Ducis Ferrariæ, &c. Directiuę Mag. & Clariſſimo I. V. D. Domino Armano Ciui Ferrarienſi Honorab. Capitaneo Cutignolę, Quarū litterarum tenor ſequitur Vid.*

DVX FERRARIÆ.

MAgnifico Armano. *Parendoci neceſſario far' opportuna prouiſione all'effrenata licenza, che ſi ritroua in quella noſtra Terra di Codignola di leuar l'armi, e far' adunatione d'huomini per li parētadi delle perſone offeſe, & inſieme ancor per occorrere alla mala conſuetudine di quegli, che per ogni picciola coſa ardiſcono offender altri, così nella perſona, come nella robba, hauemo decretato, e ſtatuito, che li Banditi del Territorio di Codignola, maſſime per homicidij, ò per ferite, non ſiano per alcun modo ſicuri nell'altre noſtre Terre di Romagna, ne in tutto il Dominio noſtro, come i Banditi d'altro noſtro Dominio non ſaranno ſicuri in Codignola; Ne ſia lecito à perſona alcuna, etiam che gli foſſe congionta in qualunque grado di conſanguinità, ò d'affinità recettare alcun Bandito, ſotto pena, à chi contrafarà di cento Ducati, & oltra detta pena, poſſino etiamdio eſſer puniti ad arbitrio noſtro, della quale recettatione vogliamo, ſi creda per piena proua al detto d'vn teſtimonio, il quale depōga de viſu. Vogliamo etiamdio, che qualunq; perſona prenderà vn Bādito, guadagni delli beni d'eſſo Bandito lire cento di Marchetti, ſe tanto hauerà in bonis; E ſe non haueſſe tanto, purche non habbia manco del valore di dieci Ducati d'oro ſtia contento di quello, che ſi ritroua hauere; ma non hauendo coſa alcuna, ò manco dell'eſtima di dieci Ducati, Vogliamo, che per la Communità*

di Codi-

di Codignola ſia ſupplito in modo, che per la cattura d'vn Bandito, chi lo prenderà, habbia almanco dieci Ducati d'oro, ò delli beni del Bandito, ò di quelli della Communità, caſo, che i beni del Bandito, ò in parte, ò in tutto non ſodisfaceſſero: Parimente hauemo ſtatuito, che i Decreti Ducali, i quali ſi ritrouano in quella noſtra Terra prohibitiui delle leghe, e delle leuationi dell'armi tra parenti, delli quali l'vno commincia; Cœterum abhorrentes; *l'altro,* Quoniam propter calliditatem,&c. *Si pongano in verde oſſeruanza, e che per l'auuenire ſiano inuiolabilmente, & ad vnguem oſſeruati, ſotto le pene, che in eſſi ſi contengano, le quali s'eſſigeranno ſenza alcuna remiſſione, riſeruandone facoltà, & arbitrio di poter eccedere dette pene, ſecondo la qualità del fatto: E perche ne pare neceßario, per poter meglio eſſeguire quanto è di ſopra, che habbiate ampliſſima poteſtà, e balia; per queſte noſtre vi diamo, e concediamo quell'arbitrio, & autorità, che hauemo Noi medeſimi circa le predette coſe, e circa l'eſtinguere l'inimicitie, e rancori, che forſe ſono in quella Terra, confidandoci nella prudenza, fede, e bontà voſtra, che non farete ſe non ſecondo la voglia noſtra, certificandoui, che hauemo data principal commiſſione al Commiſſario noſtro di Lugo, e Capitano di Bagnacauallo, che debbano preſtarui aiuto, e braccio ad ogni voſtra requiſitione, così per la cattura delli Banditi, come per l'altre coſe pertinenti all'officio voſtro; Ferrarię die 28. Aprilis 1503. Signat.*

Thebaldus.

A tergo. Capitaneo noſtro Cutignolę.

Et ego Vgolinus q Dominici de Gratianis de Cutignola publicus apoſtolica auctoritate Notarius, &c. Supradictas literas de commiſſione, & mandato prafati Domini Armani Hon. Capitan. fideliter exemplaui, & regiſtraui, pro vt in originalibus inueni: In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, & ſignum meum conſuetum appoſui, currentibus Annis Natiuitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti 1503. Jndictione ſexta tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri Diuina prouidentia, Papa VI. die ſecunda Menſis Maij.

DVX FERRARIÆ.

Dilectiſſimi Noſtri. *Hauemo inteſo da Maſtro Ventura Fiſico, Sier Thomaſo Marozzo, e Gabriel Andrioli voſtri Ambaſciatori quanto à nome voſtro ne hanno ſupplicato, che vogliamo eßer contenti di ridurre quel voſtro Conſeglio, il quale al preſente è di numero d'huomini ſettanta cinque al numero di trentacinque ſolo per ſodisfattione voſtra, e per più quiete, e pacifico viuere di quella noſtra fideliſſima Communità; con facultà, e licenza ancora, che ogn'anno per quattro huomini eletti dal Conſeglio nell'anno nuouo s'habbia à correggere, e riueder detto Conſeglio: E perche ſiamo ſempre diſpoſti à compiacerui volontieri, doue ne ſia poſſibile, Siamo contenti di ſodisfarui di buona voglia, e così per queſta noſtra vi concedemo, che poſſiate ridurre, e ſi riduca detto Conſeglio al detto numero ſolo delli trentacinque con la conditione predetta di riuedere, e correggere detto Conſeglio, com'è detto: facendo voi regiſtrare queſta noſtra nelli voſtri Statuti ad perpetuam rei memoriam; Ferrariæ die* 28. *Maij* 1504. Signat.

Lud.

A tergo, Maßario, Procuratoribus, & hominibus noſtris Cutignolæ Dilectiſſimis.

Ego Ugo filius egregij Viri Ser Zacharię de Zarabinis de Cutignola pub. Imperiali auctoritate Notarius, & ad præſens Cancellarius dictæ Communitatis, ſupradictas literas Ducales de mandato Domini Capitanei, & Hominum de Conſilio Terræ Cutignolæ ex originalibus fideliter regiſtraui, ac ſcripſi in præſenti Volumine Statutorum de verbo ad verbum, nil addens vel diminens; ſed pro vt in originalibus inueni. In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui, Currentibus Annis Domini M. D. V. Indictione octaua die verò 30. Decembris.

ALFONSVS DVX FERRARIÆ.

Dilectiſſime Noſter. *Per la voſtra de' xxij. del preſente hauemo inteſo l'homicidio ſeguito iui nella perſona del figliuolo di Ventura da Madrara, perpetrato per il figliuolo di Giacomo Marozzo, che n'è molto diſpiaciuto per ogni riſpetto: Voi procederete contro il delinquente, e farete quanto la giuſtitia richiede; Ma ben vi commettiamo, e vogliamo, che in coſe criminali non ammettiate perſona alcuna imputata di maleficio alla difeſa per Procuratorem, e ſuſtituto, ſe non comparirà perſonalmente, e ſi coſtituirà in prigione e farete di queſta noſtra lettera fare le publiche grida, e regiſtrarla ad perpetuam rei memoriam & oſſeruarla inuiolabilmente. Ferrariæ die vltima Martij M. D. V.*

Signat. Hieron. Magnaninus.

A tergo. Capitaneo noſtro Cutignolæ.

Ego Pyrrhus filius ſpectabilis Viri Ioannis Benedicti de Blanculis de Cutignola publicus, Apoſtolica, Imperialiq; auctoritate notarius, & ad præſens Cancellarius dictæ Communitatis Cutignolæ, ſupradictas literas Ducales de mandato Domini Capitanei, & Hominum de Conſilio dictæ Terræ ex originalibus fideliter regiſtraui, & ſcripſi in præſenti Volumine Statutorum de verbo ad verbum, nil addendo, vel minuendo; ſed pro vt in originalibus inueni: In quorum fidem, & teſtimonium me ſubſcripſi, ſignumque meum conſuetum appoſui, Currentibus Annis Domini M. D. V. die V. Junij.

Eodem die, Menſe, & Anno, &c. Retulit Rabazius publicus Nuntius, &c.

De mercede Exequutorum. Rubrica XXXVII.

IN primis declaramus, quòd pro captura perſonali in criminalibus facienda debeantur pro mercede, & ſalario pro capiendo aliquem cuilibet ex famulis Domini Capitanei ſolid. duo bonon. in Terra Cutignolæ, & Burgis eiuſdem: Vltra verò dictum Burgum infra medietatem vnius milliarij, habeant pro ſingulo famulo ſolidos tres bonon. Vltra verò medietatem Milliarij vnius habeant per totam Iuriſdictionem Terrę Cutignolæ pro ſingulo famulo ſolidos quatuor bonon.

Item declaramus, quòd pro qualibet exequutione reali in criminalibus facienda, habeant pro ſingulo famulo duas partes ex tribus eius quantitatis, quam haberent, & vt ſupra declaratum eſt, pro exequutione, pro vt in dictis locis, & ad ratam, & prædicta ordinatio, & declaratio intelligatur habere locum in quantita-

quantitatibus à quadraginta ſolid. ſupra: In quantitatibus verò quadraginta ſolid. & infra; declaramus, quòd pro qualibet exequutione facienda in Terra, & Burgis vltra, & citra medietatem Milliarij, debeatur pro quolibet famulo ſolidus vnus, vltra verò medietatem Milliarij ſolidi duo.

Item declaramus, quòd quilibet ex famulis Domini Capitanei in ciuilibus pro qualibet exequutione perſonali, & reali habeat in Terra Cutignolæ, & eius Burgis, & vltra infra medietatem vnius milliarij ſolid. vnum; Vltra verò medietatem dicti Milliarij, Videlicet in Villa Barbiani, Maſſæ, Anconæ, Seraglij, Caſſanighi, & vltra quamlibet dictarum Villarum debeantur ſolidi tres pro quolibet famulo; A dictis verò Villis citra, debeātur ſolidi duo pro quolibet famulo.

Item declaramus, quòd ſit in electione creditoris pro exequutione reali, & perſonali facienda pro ipſo petere vnum, vel plures ex dictis famulis, & ſi plures mitterentur, non fiat ſolutio, niſi pro numero electo.

Item declaramus, quòd pro qualibet captura perſonali, quæ fieret pro capiendo forenſe, & quolibet alio ſuſpecto debitore, habeat duplum capturæ perſonalis faciendæ in ciuilibus, vt ſupra.

Et Ego Ioannes Antonius q. Bartholi de Zaganellis de Cutignola Apoſtolica auctoritate Notarius publicus, & ad præſens Cancellarius Communis Terræ prædictæ ſupradictam ordinationem taxationis ſalarij, & mercedis familię Domini Capitanei, & de qua rogatus extiti de mandato hominum Conſilij eiuſdem Terræ in præſenti Volumine Statutorum ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignumque meum conſuetum appoſui in fidem præmiſſorū &c. ſub anno Domini 1517. Indictione quinta, die verò 30. Decembris.

Ego Vgolinus Gratianus vna cum Domino Petro Antonio Blanculo, & Ser Pyrrho Blanculo electi, & deputati à Conſilio Communis Cutignolæ ad declarandum, & taxandum mercedem, ſeu ſalarium actorum, cauſarum criminalium, per has præſentes, declaramus, ſalarium dictarum cauſarum criminalium debere duplicari de eo, quod in ciuilibus cauſis ſoluitur, vt ſuperiùs in ſtatuto ſit mentio, poſito ſub Rubrica de ſalario Not.

Ego Pyrrhus Blanculus affirmo omnia contenta, vt ſupra, facta, & ſcripta per Ser Vgolinū Gratianum. In fidem præmiſſorum manu propria ſcripſi, &c.

In Chriſti Nomine Amen. *Infraſcriptum eſt quoddam Decretum, ſiue Statutum, conditum per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Dominum Bernardinum Rub. Epiſcopū Tar. Ber. Go. totius Romandiolæ Pręſidentem, ac Bononię Gubernatorem, & Vicelegatum digniſſimum in fauorem Not. Collegiatorum Terrę Cutignolę, ac tranſmiſſum per Prælibatum Reuerendiſſimum Dominum Pręſidentem, & Vicelegatum vna cum literis, in illo introcluſis, directiuis Mag. Viro D. Petro Jacobo Villanouę, nobili Mantuano Honor. Capitan. Terrę Cutignolę, & eius pertinentiarum, & deſcriptum, & regiſtratum in præſenti Volumine Statutorū per me Hieronymum Tarlatium Not. infraſcriptum, de mandato prędicti Domini Capitanei ordinatione, & Commiſſione Hominum de Conſilio dictę Terrę Cutignolæ, ſub die prima Junij, currentibus Annis 1521. Cuius Decreti, & Statuti tenor ſequitur, Videlicet.*

De

De Acceptatione, & Approbatione Notariorum Cutignolę. *Rubrica* XXXVIII.

